# De litterarum Libanii et Basilii commercio.

## Dissertatio inauguralis philologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis ad summos in philosophia honores in Universitate Friderica Guilelma Silesiaca rite impetrandos

**die XI. mensis Octobris anni MCMXIII hora XI. et dimidia**

una cum sententiis controversis in Aula Musica publice defendet

**Adolfus Laube**
Posnaniensis.

Adversarii erunt

**Carolus Eistert,** Dr. phil.
**Lotharius Friese,** Dr. phil.

**Vratislaviae.**
1913.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit
**Ricardus Foerster.**

Examen rigorosum habitum est die 19 mensis Februarii
anni MCMXIII.

Ricardo Foerster

S.

# Argumentum.

Hac dissertatione propositum mihi est, inter Libanium sophistam et Basilium epistulae sintne scriptae necne, perquirere. De illis epistulis quaestio iam pridem instituta etiam nostris temporibus mirum quantum virorum doctorum animos commovit.

Primum commemorantur epistulae in vita Severi scripta a Zacharia Scholastico. Iuvat exscribere e versione gallica quae leguntur in hac vita[1]) p. 13: „Affligés qu'une telle intelligence n'eût pas encore reçu le divin baptême, nous conseillâmes à Sévère d'opposer aux discours du sophiste Libanios, qu'il admirait à l'égal des anciens rhéteurs, ceux de Basile et de Grégoire, ces illustres évêques, et de les comparer ensemble. Nous lui donnions ce conseil, afin qu'il parvînt, par la voie de la rhétorique qui lui était chère, à la doctrine et à la philosophie de ceux-ci. Lorsque Sévère eut appris à connaître ces écrits, il fut entièrement conquis par eux. On l'entendit aussitôt faire l'éloge des lettres adressées par Basile à Libanios et de celles que Libanios écrivit en réponse, dans lesquelles il (scilicet Libanius) avouait avoir été vaincu par Basile et accordait la victoire aux lettres de celui-ci. Il résulta de là que Sévère se plongea à partir de ce moment dans la lecture des ouvrages de l'illustre Basile et les méditations“[2]).

---

1) Patrologia orientalis II, 1907, Vie de Sévère, par Zacharie le Scholastique, vertit A. Kugener. Spanuth hanc vitam syriace scriptam Gottingae anno 1893 ediderat.

2) Etiam in alia Severi vita septimo fere saeculo ab Ioanne abbate scripta epistulae commemorantur. Cf. A. Kugener l. c., Vie de Sévère par Jean, supérieur du monastère de Beith-Aphthonia p. 215: „Il en était là, lorsqu'un de ses compagnons, qui aimait Dieu, lui donna un livre du grand Basile, évêque de Césarée de Cappadoce, ou plutôt astre de l'univers entier. Dans ce livre Basile répondait aux lettres de Libanios sophiste d'Antioche. Après l'avoir lu Sévère souffrit en son âme, car il venait d'apprendre quelle était la vraie philosophie et quelle était la fausse. A partir de ce moment négligeant la seconde il s'adonna à la première“. Quae vita, si e versione iudicare licet, non pendet ex altera.

Saeculo igitur VI nisi prius hae Libanii et Basilii epistulae mutuae exstabant atque illo iam tempore Libanium Basilio artis dicendi palmam dedisse caput epistularum visum est.

Posteriore tempore commercii epistolici mentio fit apud Suidam Basilii epistulas plurimi aestimantem[1]). Atque usque ad nostram aetatem laudantur epistulae a viris doctissimis et habentur idoneae, quibus usi adulescentes rectam scribendi artem discant.

Multi autem sunt, qui, etsi quaestionem leviter attigerunt, iudicium proferre ausi sunt, perpauci qui in eam diligenter intraverunt.

Priusquam de quaestionis statu dicere instituam, nonnulla de editionibus dicenda sunt.

Atque primus[2]) epistulas mutuas viginti duas prodire iussit Aldus[3]) Romae anno 1499 in opere cui inscribitur: Epistulae diversorum philosophorum, oratorum, rhetorum etc.[4]).

Deinde anno 1577 H. Stephanus duodeviginti Basilii et Libanii epistulas in tironum usum publici iuris fecit[5]).

Magnum momentum habent epistularum editiones et Marani, monachi Benedictini e congregatione S. Mauri, qui luculentam Basilii operum recensionem a Garnerio factam Lutetiae Parisiorum a. 1730 ad finem perduxit[6]), et Io. Christophori Wolfii, qui Libanii epistulas Amstelodami anno 1738 ita edidit[7]), ut a Friderico Rostgaardo e primo quoque, cui occurrisset, libro manuscripto descriptae erant[8]).

---

[1]) Suidas s. v. *Βασίλειος· ἐπιστολαὶ ὧν οὐδὲν ἄμεινον πρός τε τὸν σοφιστὴν Λιβάνιον καὶ πρὸς τὸν φίλον Γρηγόριον καὶ εἰς ἄλλους πλείονας.*

[2]) Singularum epistularum editiones enumerare supersedeo.

[3]) Lucas Notaras qui mortuus est anno 1453 ep. 6 (Boissonad. Anecd. V 132) Basilii et Libanii epistularum mutuarum notitiam prodit.

[4]) P. 1—12. Continentur hac editione epistulae 1580—1601 (335—356) eodem ordine atque in Wolfii et Marani editionibus.

[5]) Sunt epistulae 1580—1587 (335—42) et 1592—1601 (347—356); desunt ergo epp. 1588: *εἰ ταῦτα γλώττης* . . ., 1589: *Τὸ μὴ συνεχῶς με γράφειν* . . ., 1590: *Μᾶλλον ὅτι μὴ πάλαι σοι γράφειν* . . ., 1591: *εἰ μέν τι περὶ τοὺς λόγους* . . .

[6]) Garnerium etiam has edidisse epistulas falso putat F. Loofs: Eustathius v. Sebaste und die Chronologie der Basilius-Briefe, p. 2 sqq.

[7]) Wolfius omnes Libanii epistulas edidit praeter unam quam R. Foerster post Blochium invenit ducentis circiter codicibus perquisitis. Haec epistula Calliopio inscripta exstat in Barocciano 950 saec. XI, fol. 370. Cf. Foerster, Zur Schriftstellerei des Libanius, Fleck. Jahrb. 1876, p. 632 sq.

[8]) Cf. Foerster, De libris manuscr. Upsaliensibus, Rostochii 1877, p. 5.

Maranus quidem Aldinam suum in usum convertens praebet epistulas viginti quinque, Wolfius viginti sex.

Epistulae autem in fine collectionum positae sunt, ut in Marani editione exstent sub numeris 335 usque ad 359, in Wolfiana 1580—1605. Epistulas 357 (Λιβάνιος Βασιλείῳ), 358 (Λιβάνιος Βασιλείῳ), 359 (Βασίλειος Λιβανίῳ), quas Wolfius collocavit sub numeris 1602—1604, Maranus e Cotelerii monumentis eccl. gr. (II p. 96—97) sumpsit, Cotelerius ipse ep. 1602 ex Harleiano, 1603 e Vossiano, 1604 e Parisino gr. 2962 protraxit. Epistulam 1605 primus Wolfius deprompsit e Vossiano.

Atque haec de editionibus.

Ei qui quaestionis statum atque progressum pernoscere vult, ordiendum est ab illo Marano, qui vitam Basilii ex operibus eius concinnavit. Hac in vita tomo tertio[1]) operum praemissa ille vir doctissimus epistulas, quae inter Libanium et Basilium scriptae esse traduntur, in dubitationem vocavit, quod Basilius omnino non familiariter usus esset Libanio neque quicquam ingenii utriusque viri ex epistulis reluceret. Ita enim legis in Basilii vita ab eo conscripta c. 39, II et III: „Nihil habent hae litterae, si unum aut alterum locum excipias, quod magnum Basilii ingenium redoleat, nihil quod Libanii fama non longe minus sit. Non agnosco Basilium in hoc insulso lepore: velo niveo tectus epistulam scripsi, quam cum acceperis et manu contigeris, senties quam sit gelida, quamque referat eum, a quo missa est, latitantem nec extra aedes prospicere valentem (ep. 350). — Tres epistulae ita secum pugnant, ut nulla sit ex tribus, quae non prima omnium scripta videatur. Hunc sibi locum vindicat ep. 345, quam sic incipit Libanius: magis arbitror mihi opus esse excusatione, quod non olim ad te scribere coeperim quam nunc recusatione, quod scribere incipiam. Tunc primum ergo scribebat Libanius et prior scribebat Basilio. Sed quomodo id conciliabimus cum epistula 358, in qua Basilius laudatur, quod scribendi inceptor fuerit? Eo aequius videtur, ut haec epistula 358 primum sortiatur locum, quod paulo post Basilii reditum in Cappadociam scripta est, cum Alcimus Romam proficiscens curam instituendorum puerorum ei imposuisset. Sed prima sede utramque epistulam

---

[1]) Tomum I ed. Garnerius a. 1721; tom. II ed. idem a. 1722; tom. III ed. Maranus a. 1730.

ecce alia pellere nititur; nam cum adulescens Cappadox ad Libanium venisset cum litteris Basilii conquerentis, quod sui Libanium cepisset oblivio, quomodo hoc crimen a se propulsat Libanius? Non scriptas a se epistulas commemorat, sed ait se de Basilio in patriam reverso sollicitum fuisse, ecquod vitae genus amplexus esset, num in foro versaretur, num rhetores efficeret Cappadocum filios; at ubi e nonnullis e Cappadocia venientibus didicisset eum longe praestantiorem viam ingressum esse, vere beatos sibi et Cappadoces et Basilium visos esse. Non immerito ergo haec Libanii epistula omnium prima ad Basilium scripta videatur".

Marani sententiam ut minus probatam primus reiecit Tillemontius[1]) censens epistulas genuinas esse. Eius sententiae Wolfius in praefatione editionis adstipulatus est, etsi Marani argumenta momentum habere negare non potuit. Et suam sententiam omnibus fere viris doctis probavit, nullis quidem argumentis confirmavit.

Ex illo tempore vulgo genuinae habentur epistulae. Omnes autem viros doctos, qui epistulis fidem habuerunt, supersedeo nominatim affere. Hic solum commemoro E. Feisserum[2]), Schroekhium[3]), Klose[4]), Chr. Petersen[5]), quibus obstitit Krabinger[6]) Marani vestigiis penitus insistens.

Mirum autem quod R. Sieversius[7]), ille vir doctissimus, cuius opera diligenter concinnatam Libanii vitam habemus, etsi

---

[1]) Tillemont, Histoire des empereurs tom. IV p. 1057 et: Mémoires pour servir à l'histoire eccles. tom. IX p. 659 (notes sur Saint Basile): „quelques personnes habiles doutent de toutes les lettres de Libanius à S. Basile et de S. Basile à lui. Mais il ne semble pas que ni l'union de S. Basile avec un payen, ni l'estime que ce sophiste témoigne faire de la retraite du Saint, c'est à dire d'une action qu'aucun payen ne saurait nier être très belle et très généreuse, soient des preuves suffisantes pour rejetter des lettres, qui ont toutes les marques possibles de vérité, qui n'ont rien d'indigne de ces deux éloquentes plumes."

[2]) De Vita Basilii Magni, diss. theol. Groning. 1828, p. 12, 71, 72, in quo opusculo adhibendo cautio adhibenda est, cum Amphilochii personati sequatur vitam Basilii.

[3]) Christl. Kirchengeschichte t. XIII p. 7.

[4]) Basilius der Große, nach s. Leben u. Lehre dargestellt, p. 116 sq.

[5]) Commentatio de Libanio I p. 4, 26.

[6]) Bulletin der Akad. d. Wiss. München, 1850, Nr. 34—36.

[7]) Das Leben des Libanius, von G. R. Sievers, ed. G. Sievers, Berlin 1868.

nonnulla ei ipsi idonea videbantur quae suspicionem moverent, tamen minime sibi constans pendebat plane animi neque eas aut falsas aut veras esse dicens. Novit, qua via ad rectum iudicium perveniat, non ingreditur.

Nuper O. Seeckius[1]) ad Tillemontii Sieversiique causas afferens alias in genuinarum numero ponendas esse epistulas demonstrare conatus est. Et quoniam eos, qui antea[2]) scripserant, paucis absolvimus, Seeckii sententia copiosius explicanda est, quod ille vir sagacissimas argumentationes protulit. Ex eius quidem sententia omnia quae ex epistulis comperimus, optime quadrant ad utriusque viri vitam resque gestas; legis enim in p. 32 eius operis: „Wenn aber in allem Tatsächlichen, was überhaupt eine Prüfung duldet, die Basiliuskorrespondenz sich zuverlässig erweist, so steht damit ihre Echtheit außer allem Zweifel. Denn daß ein Fälscher, der eine ganze Anzahl chronologischer und historischer Daten bringt, sich in ihnen keine einzige Blöße geben sollte, ist ausgeschlossen."

Seeckii sententiam sequitur et I. Schaefer[3]) et Draeseke, qui priore tempore epistulas pro spuriis habuerat[4]).

Ferd. de Paola[5]) maximam partem pendens ex Marano epistulas subditas esse censet. At pro effectis reliquit vixdum incohata.

---

[1]) Die Briefe des Libanius in „Texte u. Untersuchungen" 30 N. F. 15, 1906, p. 30—34, 468—71 aliisque locis.

[2]) Cf. praeter eos quos attuli, etiam Kölling, Geschichte der arianischen Häresie Bd. II, Gütersloh 1883, p. 341, qui epistulis fidem habet.

[3]) Basilius des Großen Beziehungen zum Abendlande, Münster 1909, p. 5.

[4]) Zeitschrift für Kirchengeschichte 8, 1886, p. 95 epistulas spurias esse probat; postea autem (Theol. Literaturzeitung 1907, p. 272) illam opinionem ipse restrinxit ratus ab iis solum litteras alternas reici, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati essent. Sic enim legis: „der Briefwechsel zwischen Basilius und Libanius hat das unverdiente Geschick erfahren, für unecht gehalten zu werden, ebenso wie der geringe Rest des Briefwechsels zwischen Basilius und Apollinaris v. Laodicea. Bei beiden Sammlungen sind es nicht sachliche Bedenken gewesen, die zu diesem Urteil führten, sondern ersichtlich solche Gründe, welche die wissenschaftliche Befangenheit (!) und den katholischen Standpunkt (!!) ihrer Urheber verraten. An der Echtheit ist eben keinen Augenblick zu zweifeln, und mögen dies Tillemont und Sievers gegen Maranus längst bewiesen haben, so bringt doch Seeck noch wieder neue Beweise zu den früheren hinzu."

[5]) S. Basilio e Libanio, saggio critico, Alatri 1910.

Foerster praefat. or. δύσκολος λάλον γήμας Lib. VI p. 495 epistulas mutuas contra Seeckium in subditis ponit.

Cum iam ad finem perduxissem hanc quaestionem, P. Maasius[1]) publici iuris fecit disputationem, cui titulus est: „Zu den Beziehungen zwischen Kirchenvätern und Sophisten". In priore quidem parte tractavit: „Drei neue Stücke aus der Korrespondenz des Gregorius von Nyssa", in posteriore parte: „Der Briefwechsel zwischen Basileios und Libanios".

In codice enim Patmensi 706 Maasius inter Gregorii Nysseni epistulas invenit novas tres, quae facie tituloque mutatis etiam in Libanii et Basilii epistulis mutuis exstant sub numeris 1592 (Λιβάνιος Βασιλείῳ), 1593 (Βασίλειος Λιβανίῳ), 1587 (Βασίλειος Λιβανίῳ).

Eam autem faciem, quam praebet codex Patmensis, genuinam putat Maasius et tribuit epistulas Gregorio Nysseno censens easdem mutatas a falsario quodam inter Libanii et Basilii epistulas mutuas esse sumptas. Et primam quidem epistulam (1592) negotii gratia scriptam esse ille affirmat a Stagirio sophista ad Gregorium, secundam (1593) esse responsum Gregorii. Quae sit causa tertiae a Gregorio ad amicum quendam datae (1587), Maasius nescit. In posteriore disputationis parte divisit Libanii et Basilii epistulas mutuas in tres series. Prima quidem continet epistulas undecim: 1580—1585, 1594, 1602, 1586, 1595, 1591. In secunda serie posuit epp. 1596—1599, 1601, 1600. Tertiam seriem iterum in tres partes divisit, quarum prima (apud Maasium III A) continet eas epistulas, quae etiam in Libanii epistularum corpore exstant: 1590, 1603, 1605. Secunda (III B) amplectitur tres a Maasio ex Patmensi depromptas 1587, 1592, 1593 et epistulam 1588, quae titulo mutato extra epistulas alternas invenitur. Tertia (III Γ) continet 1589 et 1604.

Has inter tertiae seriei epistulas et primae et secundae nullam rationem intercedere Maasius censet.

Epistulae autem primae seriei secundum eius sententiam genuinae sunt, aeque ac prima et tertia pars seriei tertiae. Secundam autem partem seriei tertiae (1587, 1588, 1592, 1593) et secundam seriem (1596—99, 1601, 1600) in subditis ille posuit.

Attamen gravissimae causae obstant, quominus ei assentiamur, id quod progrediente inquisitione apparebit. Hoc autem

---

[1]) Sitzungsberichte der Kgl. Preuß. Akad. d. Wiss., 1912, Heft 43 u. 49.

unum iam hic iuvat commemorasse: arbitrario Maasium puto in ordinem redegisse has epistulas. Similis enim ratio, quae secundum eum intercedit inter epistulas 1580—1585 et 1602 vel 1591 vel inter 1601 et 1600, intercedere videtur inter tertiae seriei epistulas et primae et secundae, velut inter 1587 et 1586 vel 1605 et 1580—1585 vel 1590 et 1591.

Priusquam autem inquisitionem aggrediamur, quo rerum ordine simus usuri, paucis necesse est exponere.

Rem in duas partes divisam ita tractabimus, ut in priore parte de amplissimis Libanii epistularum codicibus Vaticano gr. 83 et 85 et Vossiano 77 agamus, qui ad epistulas alternas summo momento sunt, deinde de historicis documentis spectantibus ad Libanii et Basilii consuetudinem vel litterarum commercium, in altera parte de argumentis ex epistulis ipsis depromptis, cui nonnulla de sermone adiungemus.

Postremo inquiremus in consilium sylloges epistularum.

---

# Pars prior.

# De codicibus Vaticanis 83, 85, Vossiano 77 et de historicis documentis.

## Caput I.

### De Vaticanis 83, 85 et Vossiano 77.

Nunc mihi disserendum est de amplissimis Libanii epistularum codicibus. Ad epistulas autem mutuas duo imprimis corpora summo momento sunt: alterum praestat codex Vaticanus 83, ad alterum spectant codices Vaticanus 85 et Vossianus 77. De illis quidem accuratius quaestionem instituere quare opus sit, mox intelleges.

Tres autem sunt partes codicum Vaticani 85 et Vossiani, qui 449 epistulis breviores sunt quam Vat. 83.

Prima quidem Vossiani exhibet septendecim epistulas extra ordinem praemissas, secunda complectitur libros sex, quorum primus exhibet epp. 77, secundus 106, tertius 108, quartus 77, quintus 28, sextus 120; eiusdem codicis pars tertia sine librorum distinctione epistulas 497 profert. In eodem codice exstant epistularum, quas Libanium ad Basilium scripsisse dicunt, tres,

quae ita dispositae sunt: ac primum quidem in libro IV inter epp. 353 et 354 invenitur epistula 1590, deinde liber VI exhibet epistulam 1603, denique in appendice exstat epistula 1605.

Hae igitur epistulae ceteris immixtae sunt.

Maxima autem pars mutuarum epistularum extrema codicis Vaticani 83 parte continetur. Ibidem post librum VI inde a folio 430 hae epistulae subiunctae sunt a posteriore manu prae se ferentes titulum hunc: ἐπιστολαὶ ἀμοιβαῖαι τοῦ μεγάλου καὶ σοφοῦ Βασιλείου καὶ Λιβανίου τοῦ σοφιστοῦ; hic invenis epp. 1580—1585, 1587, 1586 (335—342 secundum Maranum), 1601 (356), 1592—1600 (347—355), 1589—1591 (344—346); ep. 1603 exstat in fol. 243$^{v}$ = ρϛα', ep. 1588 deest, neque invenis epp. 1602, 1604, 1605.

Quomodo autem hae epistulae 1588, 1602, 1604, 1605 sint traditae, suo loco commemorabo.

Codex vero Vossianus Seeckio omnium pretiosissimus gravissimusque videtur, ex quo ipso epistulas revera inter Libanium Basiliumque scriptas esse pateat. Quaeramus, num assentiri possimus illius sententiae.

Quae cuiusmodi sit, paucis, si placet, videamus: In opere, cui inscripsit „Die Briefe des Libanius, zeitlich geordnet", epistulas Libanii docuit omnino temporis ordinem sequi atque editas esse fortasse a Libanio ipso ex exemplis epistularum secundum temporis rationem collectis.

Cardo autem totius quaestionis in eius verbis vertitur hisce: „denn wenn es feststeht, daß die Quelle des Vossianus auf die eigenen Kopialbücher des Libanius zurückgeht, so ist bei den Briefen, welche auch diese Handschrift enthält, die Echtheit bewiesen" (p. 30). Ergo si fons Vossiani ad epistularum exemplum a Libanio ipso constitutum spectat, secundum eius quidem sententiam epistulas, quae hoc codice continentur, genuinas esse apparet.

Quodsi reapse codex Vossianus ad epistularum exempla a Libanio ipso confecta refertur, quin hae epistulae integrae sint vix dubitari poterit.

Seeckii sententiam abhorrere a vero egregie demonstravit H. Silomonius[1]). Ille quidem probavit epistulas librorum I—IV

---

[1]) Diss. de Libanii epp. libris I—VI conscripta, Gottingae 1909. Cuius dissertationem cum ignoraret P. Maas l. c. p. 1119, accidit ut Seeckio astipularetur.

(aliter res se habet in libris V, VI) secundum temporis rationem a Libanio collectas ab editoribus quibusdam retractatas esse et transpositas. Etsi concessit librorum V et VI epistulas maxima ex parte praebere illum ordinem, secundum quem Libanius eas collocavisset, tamen longe aliter rem se habere in libris I—IV. Probavit ille editores librorum IV et I epistulas solum attulisse, quae alicuius momenti essent, librorum II et III illas, quas librorum I et IV editores reiecissent. De libris II et III autem dicit: „liber secundus duo epistularum genera praebet. Primum quidem continet epistulas, quae eodem tempore scriptae sunt quo epistulae, quae libro primo insertae sunt. Quae temporis rationem sequuntur. Illis admixtae sunt sine ullo ordine epistulae, quae scriptae sunt inde ab anno 357 usque ad hiemem anni 359/60. Similiter compositus est liber tertius“ (p. 49).

Epistularum autem librorum II et III nullam esse, quae alicuius momenti esset, sed plerumque nihil nisi commendationes praebere Silomonius idem observavit. Tales autem epistulas temporis ordinem servare nemo affirmabit. Etiamsi libri ex exemplis epistularum editi sunt, quae secundum temporis rationem ordinata erant, nihilominus ab illis, qui Libanii epistulas postea ediderunt, nonnullis locis ordo retractatus est iis quidem epistulis, quae non ad locum quadrare videbantur, transpositis vel eiectis, nonnullis autem insertis quae post mortem Libanii provenerant. Cuius rei, quam ille compluribus testimoniis comprobavit, unum modo exemplum afferam: post ep. 522, quae in libro sexto exstat, et in Vossiano et in Vaticano 85 legitur: τέλος βιβλίου; verumtamen sequuntur epistulae 523—529, quae non quadrant ad locum, quo inveniuntur[1]), id quod recte collegit Silomonius ex ep. 529. Ad Silomonii igitur sententiam accedo, qui postea eas insertas esse libro sexto censuit ab editore adiciente collectioni omnes epistulas, quas invenisset. Neque vero Seeckii sententiae adstipulor, secundum quam librarii errore hae epistulae extremo libro VI positae sunt[2]).

Sed Seeckius ipse concessit non omnino epistulas temporis

---

1) Silomon p. 54.

2) Seeck p. 23: „Jene kleinen Zettelchen sind angefügt, damit kein Brief an Julian fehle (ep. 525 ad Iulianum data est); daß auch noch die 6 anderen Briefe hinzugekommen sind, mag ein Versehen des Schreibers sein.“

rationem sequi, sed secundum eius sententiam foliis confusis ordo relictus est. Praecipue autem libri IV (epp. 314—353, 1590, 354—392) ordinem minime servatum esse contendit ille: „dies ist das einzige der 6 Bücher, in dem die chronologische Ordnung im ganzen doch arg zerrüttet ist . . . denn um sie wiederherzustellen, muß man λγ—λη (346—351) und μδ—ξα (356—373) zwischen ια (324) und ιβ (325) einschieben“ (p. 16).

Egregie Silomonius foliis transpositis nequaquam explanari posse errores demonstravit. Omnino non sunt folia transposita, sed epistulis secundum temporis ordinem collectis ab editoribus falso loco aliae admixtae sunt et ipsae ordinatae aut sine ullo ordine collatae.

Ex his, quae breviter exposuimus, satis constare puto Libanii exemplum[1]) epistularum non integrum fuisse. Quis omnino Seeckium docuit illud omnes epistulas a Libanio scriptas esse complexum?

Quin in Libanii quidem exemplari omnes epistulae exstiterint, R. Foerster in dubitationem vocavit[2]), cum probaret Libanium epistulas capitales velut nonnullas ad Iulianum missas non in medium protulisse argumenti loco afferens ep. 1350 ad Aristophanem datam, ubi legis: Ἐπιστολὰς δὲ τὰς ἐκείνου πρὸς ἐμὲ καὶ πρὸς ἐκεῖνον ἐμάς, τὰς μὲν πέμψω, τὰς δὲ οὔ· κρίσει δὲ ἑκάτερον ἔσται τὰς μέν γε οὐδὲν δεινὸν φανῆναι, τὰς δ' ἴσως.

Ad propositum redeamus. Hoc mihi explicandum fuit, ut nequaquam opus esse intellegeretur epistulas ad Basilium datas, quas codd. Vossianus et Vaticanus 85 exhibent, a Libanio ipso esse in suum exemplar receptas.

Omnino quadrantne in locum, ubi exstant, epp. 1590, 1603, 1605?

Seeckius quidem contendit epistulam 1590 aestate anni 358, epistulam 1603, vetustissimam omnium epistularum mutuarum, aestate a. 356 scriptam esse.

---

[1]) Libanio reapse exemplar in manibus fuisse ex ep. 1384 comperimus, secundum quam Eutropio, ut hoc exemplar inspiceret, traditum est: *ἐγὼ δὲ ἀνεβόησά τε καὶ τὸ βιβλίον παρενεγκὼν παρεῖχον ἀναγιγνώσκειν ἄμφω, καὶ δοὺς ἀντίγραφα δέομαι πέμπειν ὑμῖν τὴν ἀπολογίαν ἐν αὐτοῖς ἣν οἶμαι ὑμᾶς ἔχειν.*

[2]) R. Foerster, Fleck. Jahrb. 1876 p. 498.

At progrediente dissertatione probabo neque epistulam 1590 anno 358 neque ep. 1603 a. 356 esse scriptam.

Satis quod erat propositum demonstrasse videor: inde quod nonnullae epistulae in illis codicibus inveniuntur, epistulas esse genuinas nequaquam consequi.

## Caput II.

### Utrum consuetudo fuerit Basilio cum Libanio necne.

Priusquam ad singulas pertractandas epistulas accedam, in universum disseram, num Basilius omnino cum Libanio convenerit, utrum ille Libanii discipulus vel condiscipulus fuerit necne; secundum enim epistulas mutuas Basilium Libanii discipulum vel condiscipulum fuisse nemo negare potest.

Iam examinemus antiquorum testimonia.

Ac primum quidem Gregorius Nazianzenus, qui Basilio familiarissimus erat, in oratione funebri Basilio iusta solvente de hac re nihil commemorat, neque quicquam de illorum necessitudine comperimus ex eiusdem carmine, quod inscribitur: περὶ τῶν καθ' ἑαυτόν, quamquam admonet nos de illo tempore, quo ipse una cum Basilio Athenis litteris studebat. Quin etiam in Gregorii Nysseni, Basilii fratris, laudatione altum est silentium[1]. Ac ne in Ephraemi quidem Syri[2] elogio S. Basilii, quod fortasse Basilio vivo scriptum est, quicquam inveni. Hunc Ephraemum[3] cum Basilio convenisse atque eum maxime aestimasse testatur ipsum elogium[4].

---

[1]) Hanc Gregorii Nyss. laudationem spuriam esse censet H. Usener, Religionsgeschichtliche Untersuchungen, I. Teil: Das Weihnachtsfest, Bonn 1889, p. 248; iure obstitit illi Hollius opere, cui titulus est: Amphilochius v. Ikonium p. 197.

[2]) Basilius Homil. II in Hexaem. testatus se a Syro quodam de vi vocabuli מְרַחֶפֶת consultum esse hunc Ephraemum intellegere videtur; cf. Fabricius, Bibliotheca graeca, Tom. 8, p, 131. Hoc elogium addita latina versione primus edidit Cotelerius tom. III monumentorum eccles. graecae (p. 54).

[3]) Quam fervido odio in Iulianum ille affectus esset, elucet e quattuor hymnis, quos invenis apud Overbeckium, S. Ephraemi Syri opp. selecta, Oxford 1865. Cf. Foerster, „Kaiser Julian in der Dichtung alter u. neuer Zeit", Studien zur vergl. Literaturgeschichte V, 1.

[4]) l. c. p. 58: *εἶδον αὐτόν τε τὸν ποιμένα τοῖς πτεροῖς τοῦ πνεύματος ἀνάγοντα δεήσεις ὑπὲρ ἡμῶν καὶ κατάγοντα ῥήσεις.* Amissa est vita Basilii

Verumenimvero testimonia exstant, quibus Basilium Libanii consuetudine usum esse affirmatur.

Ac primum quidem hic affero epistulam e qua Basilium Libanii discipulum fuisse concludere voluerunt. In Vaticano epistula inscriptum habet nihil nisi nomen auctoris, in Mediceo inscribitur: Γρηγόριος Λιβανίῳ. Sic autem scribit Gregorius: εἰ δὲ περὶ τῆς ὑμετέρας λέγοις σοφίας, ἣν οἱ κρίνειν ἐπιστήμονες φασὶν ἀπὸ σοῦ πηγάζουσαν, ἐν μετοχῇ τοῦ λοιποῦ γενέσθαι πᾶσιν οἷς τινος καὶ μέτεστι λόγου (ταῦτα γὰρ ἤκουσα πρὸς πάντας διηγουμένου τοῦ σοῦ μὲν μαθητοῦ, πατρὸς δὲ ἐμοῦ καὶ διδασκάλου τοῦ θαυμαστοῦ Βασιλείου) (Migne 46 p. 1048 D). Haec epistula Maasio gravissimum est testimonium censenti Basilium fuisse Libanii discipulum. Sed eam genuinam esse nego. Secundum quidem Maasium titulus rectus imprimis epistula 14, in qua Gregorius Nyssenus Libanii epistulam respiciat, confirmatur. Legis enim apud Maasium l. c. II p. 118: „Die im Mediceus beidemal erhaltene Adresse wird durch den Inhalt bestätigt, besonders durch die Stelle in 14 (Migne 46 p. 1052 D), wo der Nyssener aus dem letzten Brief des Adressaten zitiert, daß dieser seine Lehrtätigkeit aufgeben wolle, weil sich zuviele seiner Schüler dem Latein zuwendeten.“ Quid autem ista re probatur? Nonne hoc bene scivisse potest falsarius quidam ex illis Libanii locis quibus de eius in Romanos odio dicitur velut ex ep. 870, Lib. F. III 465, 20?

Illo igitur Maasii argumento epistulam genuinam esse nequaquam demonstratur. E contrario obloquuntur nonnulla et ea tam gravia, ut eam in subditis ponam. Quid quod Gregorius in hac epistula Basilium patrem nominat — ταῦτα γὰρ ἤκουσα — πατρὸς δὲ ἐμοῦ καὶ διδασκάλου τοῦ θαυμαστοῦ Βασιλείου —, cum illius frater fuerit et paulo maior natu? Sed forsitan quispiam contra dixerit voci πατρός hoc loco significationem translatam inesse. Quod minime credibile neque causa est, cur Gregorius Basilium fratrem non appellet fratrem, praesertim cum plurimi eum aestimaverit.

Sed etiam vox διδάσκαλος sensu caret; nam nihil scimus

---

ab Helladio discipulo eius et successore descripta, quam laudat Ioannes Damascenus oratione I de imaginibus (Migne P. G. 94, 1277 B). Quae vita, si servata esset, nescio an nos in diiudicanda hac re adiuvisset.

Basilium litteras docuisse Gregorium. Et Gregorius fratrem suum nominasset τὸν θαυμαστὸν Βασίλειον? Tales errores falsario vindicandos esse in propatulo est.

Quantas adulationes contineat haec epistula Gregorii personati, aperient haec: διακείμενος γάρ, ὡς οὐκ ἂν ἐβουλόμην, μηνύσαντος ἀθρόως μοί τινος περὶ τῶν γραμμάτων τῆς μονογενοῦς σοι παιδεύσεως, ἐπειδὴ τάχιστα τὴν ἐπιστολὴν ἐδεξάμην, εὐθὺς μὲν τὴν ψυχὴν διέθετο, ὡς ἐπὶ καλλίστοις ἐπὶ πάντων ἀνθρώπων ἀνακηρυσσόμενος τοσούτου τὴν σὴν μαρτυρίαν ἐτιμησάμην ἣν διὰ τῆς ἐπιστολῆς ἡμῖν κεχάρισαι. ἔπειτα δέ μοι καὶ ἡ τοῦ σώματος ἕξις εὐθὺς πρὸς τὸ κρεῖττον μετεποιεῖτο καί σοι τὸ ἴσον παράδοξον καὶ αὐτὸς διήγημα δίδωμι, ὅτι τῆς αὐτῆς ἐπιστολῆς τὰ μὲν ἀῤῥωστῶν, τὰ δὲ καθαρῶς ὑγιαίνων ἐπέδραμον. Nemo iam negabit hanc epistulam meras fictiones continere.

Deinde hic affero S. Basilii vitam ab Amphilochio personato scriptam[1]), cuius partem quandam exscripsi[2]) non propter rei

---

[1]) *Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀμφιλοχίου ἐπισκόπου Ἰκονίου εἰς τὸν βίον καὶ τὰ θαύματα τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Βασ. Ἀρχιεπισκ. Καισαρ. Καππαδ.*, ed. R. F. Franciscus Combefisius, Paris 1644, in opere: SS. Patrum Amphilochii Icon. Methodii Patarensis et Andreae Cretensis opp. omnia latine reddita notisque illustrata.

[2]) P. 158: *αὖθις οὖν ἐγκαταλείψας τὴν ἐνεγκαμένην — Καππαδόκης γε ἦν τῷ γένει — καταλαμβάνει τὴν μητέρα τῶν λόγων, τὰς Ἀθήνας. ἁγνείᾳ τε πολλῇ ἐγκρατείᾳ καὶ σωφροσύνῃ κεκοσμημένος προσφοιτᾷ τῷ θελγουμένῳ τῆς τῶν Ἑλλήνων σοφίας Εὐβούλῳ τοὔνομα· καὶ οὕτως ἑαυτὸν ἀπέδωκε τοῖς μαθήμασιν ὥστε θαυμάζεσθαι αὐτὸν παρά τε τῶν καθηγητῶν καὶ τῶν αὐτῶν συμφοιτητῶν. γεγόνασί γε τούτου συμπράκτορες Γρηγόριος ὁ μέγας τῆς Ναζιανζοῦ γενόμενος ἐπίσκοπος καὶ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τοὺς οἴακας ἐπὶ δώδεκα διακυβερνήσας χρόνους, Ἰουλιανός τε ὁ πρὸ βραχὺ Χριστιανὸς καὶ Λιβάνιος.* P. 183: *τοῦ γε λαοῦ πάνδημον ἑορτὴν ἄγοντος ἐπὶ τέλει τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν καὶ πάντων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ συνηγμένων ἰδοὺ Λιβάνιος ὁ Ἰουλιανοῦ κοιαίστωρ εἰσῆλθεν ἐν τῇ πόλει φυγῇ χρησάμενος καὶ μαθὼν τὸ τοῦ λαοῦ ἄθροισμα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐκεῖσε παρηγγυᾶτο ἐπαγγέλλων τὸν ἔχθιστον θάνατον Ἰουλιανοῦ* (cf. p. 158) *τοῦ τυράννου· καὶ προσπεσὼν τοῖς γόνασι τοῦ ἀρχιερέως ἠξίου δέξασθαι τὴν ἐν Χριστῷ σφραγῖδα* (!) *καὶ ταύτης τυχὼν ὁμόστεγος γέγονε Βασιλείου ἅμα Εὐβούλῳ.* — Ut credibilis fiat ista narratio, Combefisius duos fuisse Libanios contendit, quaestorem alterum, alterum sophistam, et hoc quidem loco sophistae nomen a librario temere quaestori datum. Sed hanc inanem esse coniecturam omnes concedent (Libanius etsi ab Iuliano honore quaestoris affectus erat, munere ipso non functus est), nam hic sophistam intellegi voluisse istum scriptorem elucet. — Quantopere vitae scriptoris utrumque virum copulare interfuerit, ex hac re

fidem, sed quod hac vita probatur, quantopere auctor studuerit, ut Basilium Libaniumque copularet.

Istam vitam confinxisse scriptorem apparet, nec opus est demonstrare Libanii et Basilii consuetudinem, quin etiam necessitudinem, de qua refert ille scriptor, ab omni parte esse fabulam. Hanc vitam in absolvenda quaestione nemo in discrimen vocabit[1]).

Iam perquiramus, quid cetera testimonia de consuetudine dicant. Talia proferunt Socrates et Sozomenus, scriptores ecclesiastici, qui Basilium Libanii scholas frequentasse vel eius condiscipulum fuisse dicunt. Lege quaeso, quae Socrates dicit lib. IV c. 26: νέοι γὰρ δὴ ὄντες οὗτοι (sc. Basilius et Gregor. Naz.) ἐν ταῖς Ἀθήναις τῶν τότε ἀκμασάντων σοφιστῶν, Ἱμερίου καὶ Προαιρεσίου, ἀκροαταὶ γενόμενοι καὶ μετὰ ταῦτα ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας Λιβανίῳ συμφοιτήσαντες (quod hoc loco nihil aliud significare potest nisi eos simul scholam Libanii frequentasse) ἄκρως τὴν ῥητορικὴν ἐξεπόνησαν.

Alterum testimonium profert Sozomenus ceterum fide indignus, qui vim verbi συμφοιτᾶν recte perspiciens Basilium una cum Gregorio Naz. Antiochiae discipulum Libanii fuisse testatur his verbis: σύγχρονοι δὲ ὄντες αὐτός τε καὶ Γρηγόριος, ὁμόζηλοι ταῖς ἀρεταῖς, ὡς εἰπεῖν, ἐγνωρίζοντο. Ἄμφω γὰρ νέοι ὄντες Ἱμερίῳ καὶ Προαιρεσίῳ τοῖς τότε δοκιμωτάτοις σοφισταῖς ἐν Ἀθήναις ἐφοίτησαν, μετὰ ταῦτα δὲ ἐν Ἀντιοχείᾳ Λιβανίῳ τῷ Σύρῳ (VI, 17).

Sozomenum autem artissime sequi Socratem cum ex verborum ordine elucet, tum quod in eodem errore versatur.

Manifestus enim est utriusque error, cum Basilius nunquam Antiochiae studiis operam dederit. Iam Valesius incredibile esse

---

colligimus: imperatore Iuliano in Persas proficiscente et Basilium et Libanium narrat eadem nocte per somnum vidisse deum, qui Mercurium vocari iussisset, ut Iulianum interficeret. (Iulianus cum ante bellum Persicum Caesaream venisset, se ex bello reversum oppidum solo aequaturum esse minatus erat.)

[1]) Ille Anonymus qui (post Ursum) hanc vitam in codice quodam Vitarum Sanctorum saec. XII biblioth. imperial. Vindob. lat. 498 exhibente in latinum transtulit, res variat ornatque, quod invenies conferens textum graecum cum versione, cuius partem primam edidit R. Foerster in opere: „Kaiser Julian in der Dichtung alter und neuer Zeit“ (Studien zur vergleichenden Literaturgeschichte V, 1, Berlin 1905). Discreptantia autem est eo loco, quo Libanius Iuliani mortem populo nuntiat (in Foersteri opere p. 9).

observat Basilium atque Gregorium „post confectum Athenis studiorum liberalium cursum“ Libanii discipulos fuisse Antiochiae. Quam ob rem censent eruditi viri illos scriptores Basilium Caesareensem cum Basilio S. Ioannis Chrysostomi amico confudisse, quem dum habent pro Basilio, Gregorium eius sodalem sociumque fecerunt. At vanam esse hanc opinionem, revera illos Basilium Caesareensem respicere voluisse consentaneum est.

Quod vero illi scriptores Basilium tum demum, postquam Athenis revertisset, Libanio operam dedisse dixerunt — id est anno 355 vel 356 — id ab omni parte rebus gestis vitaeque illorum virorum repugnat. Seeckius quidem sententiam proposuit Basilium Nicomediae Libanii discipulum fuisse[1]. Sed ne tempus quidem quadraret, si revera Libanius, ut Seeckius contendit, ab anno 346 usque ad a. 351 docuisset Nicomediae ibique Basilius eius discipulus fuisset. Nam intra hoc tempus Basilium Constantinopoli studiis se dedisse veri simillimum est, id quod nunc explicare conabor. Relicta patria domoque[2] Basilium primum Caesaream[3] petivisse, ubi eum cum literarum studio tum moribus integris maxime sese commendasse testatur Gregorius Naz.[4]. Deinde Constantinopolim[5] adiit[6], in quam urbem illis temporibus artium liberalium studio florentem philosophiae doctores multique ex omnibus terrarum regionibus discipuli confluebant. Hinc circiter anno 351 Athenas profectus est paulo post Gregorium

---

[1]) Seeckium more consueto sequitur Maasius l. c. p. 1119 s. n. legis: „Daß in ep. 1603 die Zeit in Nikomedien gemeint ist, hat Seeck (p. 32) schön erwiesen.“

[2]) Iam a puero Dei cognitione se imbutum esse Basilius ipse tradidit ep. 223, 3: *ἣν ἐκ παιδὸς ἔλαβον ἔννοιαν περὶ τοῦ θεοῦ παρὰ τῆς μακαρίας μητρός μου καὶ τῆς μάμμης Μακρίνης, ταύτην αὐξηθεῖσαν ἔσχον ἐν ἐμαυτῷ.*

[3]) Iam non parvulus erat Basilius, cum Caesaream petivit; nam multa eum pater docuerat, atque multae in eo erant litterae: *ἐπεὶ δὲ ἱκανῶς εἶχε τῆς ἐνταῦθα παιδεύσεως, ἔδει δ' αὐτὸν μηδὲν τῶν καλῶν διαφυγεῖν, μηδὲ τῷ φιλοπόνῳ τῆς μελίσσης ἀπολειφθῆναι συλλεγούσης ἐκ παντὸς ἄνθους τὰ χρησιμώτατα, ἐπὶ τὴν Καισαρέων πόλιν ἐπείγεται* (Greg. Naz. or. 43, 13, Migne 36 p. 511).

[4]) *ἐπὶ τὴν Καισαρέων πόλιν ἐπείγεται τὴν οὐχ ἧττον λόγων μητρόπολιν ἢ τῶν πόλεων ὧν ὑπέρκειται καὶ καθ' ὧν ἔχει τὴν δυναστείαν* (ibidem).

[5]) Paola p. 9 opinatur Basilium scholas Libanii frequentasse, cum Libanius Constantinopolim revertisset: „Allora è probabile che Basilio ascoltasse le lezioni di cotesto sofista; dico probabile, giacchè mancano documenti che ce lo dicano con certezza.“

[6]) Greg. or. 43, 14.

Nazianz.[1]), ut ex rhetorum institutione fructus perciperet quam maximos, neque satis habuit litteris leviter tantum imbui sed omnium vel reconditarum artium exquisitam atque subtilem acquirere voluit scientiam.

Artissimo necessitudinis vinculo Basilius Athenis coniunctus erat cum Gregorio Naz. qui magna imbutus admiratione ita loquitur: Βασίλειος ἦν τὸ μέγ' ὄφελος τοῦ νῦν βίου. Eodem in carmine (περὶ τῶν καθ' ἑαυτόν) pergit v. 226 [Migne 37 p. 1045] τοῦτον λόγου τε καὶ στέγης καὶ σκεμμάτων κοινωνὸν εἶχον· εἴ τι δεῖ καὶ κομπάσαι, ξυνωρὶς ἦμεν οὐκ ἄσημος Ἑλλάδι, τὰ πάντα μὲν δὴ κοινὰ καὶ ψυχὴ μία.

Basilium autem, etsi antiquis litteris maxime operam dedit Athenis, tamen Dei amore inflammatum fuisse testatur idem Gregorius v. 231: ὃ δ' εἰς ἓν ἡμᾶς διαφερόντως ἤγαγε, τοῦτ' ἦν· θεός τε καὶ πόθος τῶν κρεισσόνων. Nequaquam igitur satisfecerunt Basilio artes liberales, sed desideravit, quo magis commoveretur quam ethnica doctrina neque is erat, ut his studiis abalienari posset a religione Christiana: βλαβεραὶ μὲν τοῖς ἄλλοις Ἀθῆναι τὰ εἰς ψυχήν· καὶ γὰρ πλουτοῦσι τὸν κακὸν πλοῦτον, εἴδωλα, μᾶλλον τῆς ἄλλης Ἑλλάδος, καὶ χαλεπὸν μὴ συναρπασθῆναι τοῖς τούτων ἐπαινέταις καὶ συνηγόροις· ἡμῖν δ' οὐδεμία παρὰ τούτων ζημία[2]).

Athenis autem moratus quattuor vel quinque annos in patriam rediit anno 355 vel 356[3]).

Quonam tandem tempore Basilio consuetudo fuit cum Libanio?

Ac ne Tillemontius quidem, etsi epistulas ab illis scriptas esse censet, unum argumentum affert, quo scriptorum ecclesiasticorum testimonia vera evadant. Ita secum ipse pugnat, ut dicat altero loco[4]): „Nous ne voyons pas néanmoins où ils auraient pu étudier ensemble, car Libanius ne dit point qu'il a étudié autre part qu'à Antioche et à Athènes"; altero autem loco[5]): „Le plus naturel est de croire que S. Basile a pris quelques leçons de Libanius, ce qui peut aisément être arrivé à Constantinople vers l'an 346 ou 352". Atque etiam ipse concessit Basi-

---

[1]) *εἶχον δὲ μικρῷ μὲν ἐμὲ πρότερον* (Greg. or. 43, Migne 36 p. 513).

[2]) Or. 43, 21, Migne 36 p. 523.

[3]) Gregor. Naz. de vita sua v. 239, Migne 37 p. 988; Gregor. Naz. ed. Clemencet et B. Caillau, Paris 1840, II 686.

[4]) Mémoires p. servir à l'histoire eccl., tom. IX, notes sur S. Basil. p. 632.

[5]) Ibidem.

lium quidem Constantinopoli inde ab anno 346 usque ad annum 351 versatum esse, Libanium autem a. 346 Constantinopoli a Limenio expulsum [1]) ab anno 346—351 Nicomediae docuisse [2]).

Enimvero non ita facile diiudicabimus, cum sexto demum anno Libanius revocatus sit [3]) Constantinopolim, illicne cum Basilio convenerit necne.

Anno autem 346 vel iam ante Basilio consuetudinem Libanii fuisse Constantinopoli, praesertim cum secundum epistulas nobis pertractandas familiaritas fuerit et necessitudo, plane negandum est.

Libanius enim illo tempore vel antea, ut Sieversius contendit, a. 345, Nicomediae erat, ubi quinque annos, ut supra commemoravi, moratus est (cf. Sievers p. 53). Constantinopoli autem discessit anno 343. (Inter sedes, quas Nicomediae et Constantinopoli habebat [anno 344], Nicaea erat [4])).

Iam vero ante annum 343 Basilium Libanii discipulum vel condiscipulum fuisse nemo affirmabit. Ac primum quidem Basilius, qui circiter anno 341 Caesaream petivit, num iam a. 343 Constantinopoli fuerit, dubium est. Deinde ut iam tum convenerint illi, non quadrat ad rem, quod legimus in una epistularum mutuarum Libanii 1581: ἐγὼ ὁρῶν (sc. te, Basili) λόγων ἤδη μοῖραν κεκτημένην μεγάλην νέον ὄντα ᾐδούμην. Nam Basilius illo tempore vix quattuordecim annos natus erat.

Cum vero Basilius anno fere 351 Constantinopoli profectus sit Athenas, Libanius iam anno 350 Nicomedia reverterit Constantinopolim — Sieversium sequimur — nonne cogitari potest anno

---

[1]) *βίος ἢ περὶ τῆς ἑαυτοῦ τύχης* (Foerster I p. 107) . . . *καὶ ἅμα ἐμοὶ διὰ τοῦ παρέδρου παρῄνει πρὸς κέντρα μὴ λακτίζειν, ἀλλ' ἀπελθεῖν, εἰ μὴ θανατῴην.*

[2]) Tillemont, Histoire des empereurs, tom. IV p. 341.

[3]) Nicomediam pulcherrimum vitae domicilium celebrat Libanius: *τοῦτον ἐγὼ τὸν χρόνον, ἔστι δὲ ἔτη πέντε, τοῦ παντὸς ὃν βεβίωκα, ταυτὶ δὲ σχεδὸν ἑξήκοντα, ἔαρ ἢ ἄνθος προσειπὼν οὐδ' ἂν οὕτως εἴην συμμέτρως προσειρηκώς* (*βίος*, Foerster I p. 108).

[4]) Anno 346 aut 347, ut Maranus censet, Basilium frequentasse Libanii scholam Constantinopoli ab omni parte negandum est; in illum errorem incidit Maranus, quod putavit Limenium, a quo Libanius expulsus est, a. 347—349 praefectum urbis Constantinopolis fuisse, sed intra hoc tempus praefectus urbis Romae erat. Praefectus Constantinopolis erat a. 343. Cf. Indicem Praef. Urb. Chron. Pasch. ed. Bonn II p. 197. Sievers p. 53.

350 vel 351 Basilium Constantinopoli frequentasse Libanii scholas, quin etiam illos viros artissimo necessitudinis vinculo coniunctos fuisse, ut docet nos praeter alias Libanii epistularum mutuarum 1603: ὢ χρόνων ἐκείνων, ἐν οἷς τὰ πάντα ἦμεν ἀλλήλοις?

Fortasse dices etiam intra unum annum hanc necessitudinem effectam esse probabile te putare. Esto. Quin ipse concedo fieri potuisse ut Basilius illo tempore cum Libanio conveniret Constantinopoli. Sane autem mirum quod Basilius tanta necessitudine cum Libanio coniunctus dicitur, cum Libanio, dico, illo ethnico homo christianus, qui Athenis in studia incumbens, cum idola ethnica contempserit, id unum in animo habuit, ut christianus esset et vocaretur (velim conferas: ἡμῖν δὲ τὸ μέγα πρᾶγμα καὶ ὄνομα, χριστιανοὺς καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι Greg. Naz. or. 43, 21). Libanium autem fervido odio in christianos flagrasse inter omnes constat.

Sed de hac re posteriore parte (p. 36) disseram. Hic solum affero ad quaestionem solvendam omnino non multum valere, utrum illi viri anno 350 vel 351 Constantinopoli convenerint necne: ad illud enim tempus ne secundum Seeckii quidem sententiam epistulae mutuae respiciunt.

Quodsi quis credat epistulas mutuas reiciendas esse ea de causa, quod Basilius ut homo christianus ethnicorum studia funditus contempserit, vana opinio est. Nam supra (p. 16) dixi Basilium veteribus scriptoribus maxime operam dedisse; sed quo consilio iis studuerit, saepe falsissimae opiniones exstiterunt. Quod cum ad recte diiudicandas epistulas, de quibus acturus sum, magni momenti sit, pauca de ea re mihi dicere liceat. Exstat oratio Basilii, cui titulus est: πρὸς τοὺς νέους, ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων[1]). Ex ea quidem oratione, qua perquirit, quomodo adulescentes possint fructus capere ex veterum operibus, facile intellegimus, quam falsa Schlosseri aliorumque opinio sit, qui censeant christianos eruditos neglectis rebus nihil nisi veterum pulchris formis studuisse. Sic legis apud Schlosserum[2]): „Auf die Verachtung der Lehrer der heidnischen Schulen gründeten in jenen unglücklichen Zeiten Mönche und christliche Geistliche das Angriffssystem auf die Altertumswissenschaft, sie sprachen

---

1) Migne 31 p. 564 sq.

2) Archiv für Geschichte u. Literatur I p. 243.

dieser allen Inhalt geradezu ab und wollten nur das Studium der Form übrig lassen.“

Haec decantata est fabula. Ex illa enim oratione Basilium magni aestimasse Hesiodum elucet. Omnino in veterum studio rebus magis quam formae operam dedit. Inlustrium hominum studio inflammavit adulescentes. Atque ardor animi in eius oratione semper adest.

Neque opus est de ea re hic disputare, quod iam egregie fecerunt H. Schürmannus[1]) aliique viri docti[2]).

Etiam ex his studiis magnam utilitatem ad animum excolendum oriri Basilius non ignorabat[3]): ποιηταῖς καὶ λογοποιοῖς καὶ ῥήτορσι καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμιλητέον, ὅθεν ἂν μέλλῃ πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν ὠφέλειά τις ἔσεσθαι.

Nam christianos antiquis institutis eo melius arcanam Christi doctrinam sibi comparaturos esse. Pulchre et poetice pergit: καὶ οἷον ἐν ὕδατι τὸν ἥλιον ὁρᾶν ἐθισθέντες, οὕτως αὐτῷ προσβαλοῦμεν τῷ φωτὶ τὰς ὄψεις[4]).

Nequaquam vero tot homines paganos haereticosque ad ecclesiam adduxisset Basilius, nisi magnam dicendi facultatem veterum studio sibi acquisivisset.

Quibus enucleatis iam aggressurus ad singulas epistulas perquirendas proferam argumenta ex iis ipsis sumpta.

---

[1]) In programmate gymnasii Kempensis 1862: de S. S. Basilio et Gregorio Naz. literarum antiquarum studiosis.

[2]) Lotholz, Basilius d. Gr. Rede an christliche Jünglinge, Jena 1857. Wandinger, sub eodem titulo, München 1858. Büttner, Basilius d. Gr. Mahnworte, München 1908. Cf. E. v. Lasaulx, Studien des klass. Altertums, Regensburg 1854, p. 74—91: Über das Studium der griech. u. röm. Altertümer.

[3]) In illa oratione § 2.

[4]) Quantopere philosophiae Graecorum studuerit, ex ep. 135 ad Diodorum scripta (Maranus III p. 226 A sqq.) intellegimus.

# Pars altera.

## De argumentis ex ipsis epistulis sumptis.

Exstant autem epistulae viginti sex, quarum quindecim quidem Libanio tribuuntur, undecim Basilio.

Sed quo facilius haec materia perspiciatur, duabus partibus eam explicabimus, atque priore quidem inita subductaque ratione de iis acturi sumus, quae in familia codicum Vaticani 85 et Vossiani exstant, posteriore de ceteris.

Unde enim ordiri rectius possumus quam ab iis epistulis, quibus Seeckius fidem tribuit praeter ceteras omnes?

### Caput I.

### De epistulis (1590, 1603, 1605), quae in Vossiano et Vaticano 85 exstant.

Ac primum quidem disceptemus de epistula 1590, quam a. 358 scriptam esse Seeckius censet, qui de ea ita iudicat: „An historischen Tatsachen, die eine Prüfung zulassen, bietet der Brief weiter nichts, als daß, kurz bevor er geschrieben wurde, jene beiden sich häufig im Hause des Strategius gesehen hatten, und das paßt vortrefflich in die Zeitverhältnisse“. Sic enim incipit Libanii epistula: μᾶλλον ὅτι μὴ πάλαι σοι γράφειν ἠρξάμην, οἶμαί μοι δεῖν ἀπολογίας ἢ νῦν παραιτήσεως, ὅτι τοῦτο ποιεῖν ἠρξάμην, et in extrema epistulae parte legis: Τί οὖν ᾔτουν; πολλάκις ἐν Στρατηγίου σοι συγγενόμενος ἐβουλήθην παρὰ τῆς σῆς σοφίας εἰς τὸ βάθος τῆς Ὁμήρου μανίας εἰσελθεῖν.

Nonne cadit illud Seeckii in utriusque vitae rationem?

Minime vero. E contrario illius sententia ab omni parte repellenda est, nam contra Basilii vitam penitus pugnat. Ex hac quidem patet circa annum 357, postquam quintum fere annum in solitudine degit, subito vita defunctum esse fratrem Basilio carissimum Naucratium[1]). Eius autem mors ut matrem piam ita etiam fratrem magna tristitia affecit. Tantum aberat ut vitae ratio, quam secutus erat Basilius usque ad illud tempus, apta esset ad hunc dolorem leniendum, ut eum augeret atque acerbissimis animi affectibus vexaret. Hac igitur re imprimis, deinde autem

---

[1]) Gregor. Nyss. Vita Macrinae, ed. Morellius II 181 sqq.

a sorore adductus[1]) Basilius, qui opinione omnium maiorem animo ceperat morte dolorem, commotus est ut muneribus publicis dignitatibusque reiectis ad monachorum vitam cognoscendam et statuendas regulas in orientem peregrinaretur.

Omnium animos Basilius valde commovit atque et auctoritatis et prudentiae suae triste amicis desiderium reliquit, cum discedens valere eos iussit. Dei venerandi causa solitudinem petivit.

Maximi quidem momenti sunt, quae ipse de causis discessus dicit: postquam multum temporis vanis rebus impendi, dicit in ep. 223, per totam fere iuventutem, ubi primum lumen magnificum Evangelii veritatis vidi, veterum sapientiam inutilem esse intellexi atque deflens miseram meam vitam optavi, ut Deum venerarer. Ita legimus in ep. 223 B (G.-Mar. p. 337): ἐγὼ πολὺν χρόνον προσαναλώσας τῇ ματαιότητι καὶ πᾶσαν σχεδὸν τὴν ἐμαυτοῦ νεότητα ἐναφανίσας τῇ ματαιοπονίᾳ, ἣν εἶχον προσπαρατρίβων τῇ ἀναλήψει τῶν μαθημάτων τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ μωρανθείσης σοφίας, ἐπειδήποτε ὥςπερ ἐξ ὕπνου βαθέος ἐξαναστὰς ἀπέβλεψά με πρὸς τὸ θαυμαστὸν φῶς τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου, κατεῖδόν γε τὸ ἄχρηστον τῆς σοφίας τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου τῶν καταργουμένων, ηὐχόμην δοθῆναί μοι χειραγωγίαν πρὸς τὴν εἰσαγωγὴν τῶν δογμάτων τῆς εὐσεβείας.

Quae eius discessus fuerint fata, paucis adumbremus. Gravissimis difficultatibus in itinere superatis[2]) post innumeros labores in Syriam pervenit; hinc Aegyptum et Alexandriam petivit[3]), vidit viros sanctos et in Mesopotamia et in Palaestina, quorum in perferendis molestissimis laboribus, in somno superando fortitudinem miratus est; obstupuit, cum videret, qua patientia constantiaque illi perferrent sitim et famem, calorem frigusque[4]). Imprimis autem, quam corruptae essent orientis ecclesiae, hoc itinere cognovit[5]). — Ex ep. 80 comperimus eum Alexandriae non vidisse Athanasium, qui tunc hanc urbem reliquerat. —

---

[1]) Gregor. Nyss. Vita Macrinae, ed. Morellius II p. 181 sqq.

[2]) Bas. epp. 1 et 11. [3]) Bas. ep. 223, 2.

[4]) Ibidem: *ἐθαύμαζόν γε τὸ καρτερικὸν ἐν πόνοις, ἐξεπλάγην τὴν ἐν προσευχαῖς εὐτονίαν, ὅπως ὕπνου κατεκράτουν ὑπ' οὐδεμιᾶς φυσικῆς ἀνάγκης κατακαμπτόμενοι ὑψηλὸν ἀεὶ καὶ ἀδούλευτον τῆς ψυχῆς τὸ φρόνημα παρασῴζοντες ἐν λιμῷ καὶ δίψει, ἐν ψύχει καὶ γυμνότητι.*

[5]) Bas. de iudicio dei II 313 E sqq.

Denique postquam Alexandriae in morbum incidit quidem, ut metueret ne per totam hiemem ibi retineretur, sed paulo post convaluit, in patriam reversus tanto ardebat ea imitandi studio, quae in remotis regionibus viderat, ut veterum studiis atque omnibus dignitatibus abiectis totum se deo celebrando traderet. Omnem vitae suae cursum in labores corporis atque in animi contentiones conficere volebat[1]).

Neque in perficiendo consilio videtur moratus esse, sed locum elegit ad secessum idoneum, montem quendam situm ad ripas Iridis[2]) fluvii, qui in Euxinum Pontum profunditur[3]). (Vita Macr. p. 182). Cf. Bas. ep. 14 III p. 93. De Basilii laboribus in solitudine susceptis tradidit Rufinus II, 9: *rura circumiens desides gentis illius animos et parum de spe futura sollicitos stimulare verbis, monasteria construere, pudicam castamque vitam omnibus paene desiderabilem facere. Ita brevi permutata est totius provinciae facies.* Basilius ipse de his laboribus loquitur in ep. 2.

Ea igitur, quae acciderunt Basilio, omnino dissentiunt ab eo, quod Seeckius inter annum 357 et 358 Basilium in domo Strategii, praefecti Antiochiae, saepenumero cum Libanio convenisse epistula, de qua agitur, comprobare conatur. Sed ut concedamus Basilium a. 358 reapse Antiochiam venisse atque ibi cum Libanio in domo Strategii convenisse, tamen quod Seeckius statuit sensu carere videtur; si enim perlegeris hanc epistulam, minime illi assentieris brevi ante tempus, quo epistula fingitur, illos in domo Strategii convenisse, propterea quod inde a necessitudine multum temporis intercessisse te docet ipsius epistulae initium, quo se excusat Libanius, quod non iam pridem scripserit.

---

[1]) Ep. 223, 2, G.-M. III p. 327, E: *ἐκεῖνα θαυμάσας καὶ μακαρίσας τῶν ἀνδρῶν τὴν ζωήν, ὅτι ἔργῳ δεικνύουσι τὴν νέκρωσιν τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες, ηὐχόμην καὶ αὐτός, καθόσον ἐμοὶ ἐφικτόν, ζηλωτὴς εἶναι τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων.*

[2]) Nomen huius loci est Annesi. Cf. ep. 3, 2, III 76.

[3]) Hoc tempore Eustathius Sebastenus, qui posteriore aetate adversarius erat, familiaris fiebat, aeque ac Basilius vitae asceticae deditus. Cf. ep. 244, 4, III p. 379; epp. 99, 3; 212, 2; 244, 1; in ep. 223 reminiscitur Bas. consuetudinis, quae ei tum fuit cum Eustathio. Cf. ep. 223, 5: *ποσάκις ἡμᾶς ἐπεσκέψω ἐπὶ τῆς μονῆς τῆς ἐπὶ τῷ Ἴριδι ποταμῷ (ὅτε συμπαρῆν μοι ὁ θεοφιλέστατος ἀδελφὸς Γρηγόριος τὸν αὐτόν μοι τοῦ βίου σκοπὸν παρανύων).*

Quoquo modo res se habet, consuetudo, de qua haec epistula loquitur, non quadrat ad Basilii vitae rationem, atque frustra conaberis eam ad prius tempus referre. Eadem quoque ratione atque Seeckius contendit Sieversius, cum difficultates explanare nequeat, Libanium, si genuina sit epistula, eius modo temporis meminisse, quo uterque Constantinopoli versatus sit. Strategium autem brevi antequam anno 353 proconsul Achaiae creatus sit, Constantinopoli versatum esse facile cogitari posse. Omnino vero negandum esse censeo Libanio illo tempore artissimam consuetudinem fuisse cum Basilio, quem inde ab anno circiter 351 usque ad annum 355 vel 356 Athenis fuisse supra ostendimus. Sed scriptor huius epistulae non satis habet commemorasse Basilium cum Libanio convenisse in domo Strategii, sed etiam addit: πολλάκις ἐν Στρατηγίου σοι συγγενόμενος.

Libanius ipse omnino unquam Strategii consuetudine usus est? Atque num Constantinopoli cum Strategio convenerit, dubium est; e Libanii quidem epistulis eum hic convenisse comperimus cum Themistio[1]), Barbatione[2]), Olympio[3]); non commemoratur Strategius.

Attamen illos inter viros reapse consuetudinem fuisse huius epistulae auctori non ignotum erat. Hieme enim a. 354/55 Strategius Antiochiam venit, ut apparet ex ep. 407, ubi pro vocabulo στρατηγός illud Στρατήγιος ponendum esse cum Richardo puto; idem comperis ex ep. 347.

Ex epistula 1239[4]) Libanium ad illum commeasse apparet: ώς δὲ ἐγένετό μοι καὶ θυρῶν ἔξω φανῆναι παρά τε τὸν Στρατήγιον ᾖμεν. Se ad illum ire consuevisse dicit in Vita sua, cum caligine suborta libris relictis domo exiret[5]).

Quibus enucleatis mea quidem opinione epistulae 1590 verba recte sic diiudicantur: huius epistulae scriptor, cum ignoraret Basilium Athenis fuisse tum cum Libanius Antiochiae familiariter usus est Strategio, res funditus evertit.

Plane vero incredibile est, id quod Sieversius ipse con-

---

1) ep. 1032. 2) ep. 1175. 3) ep. 465.

4) Cf. Seeck p. 283, qui has quoque epp. affert consuetudinem respicientes: 173, 329, 338, 341 etc.

5) Foerster I p. 135: *σκότους δέ με ἀνιστάντος ἐφοίτων παρὰ τὸν φίλον ἐκ γραμμάτων δή τινων ἐν τῇ χειρὶ κειμένων, ὑπὲρ ὧν δεηθῆναι χρῆν, ἀναμιμνησκόμενος.*

cessit[1]), Libanium, qui quindecim annos natu maior erat Basilio et a puero in artibus litterisque versatus est, unquam optavisse, ut a Basilio in Homeri furorem introduceretur: ἐβουλήθην παρὰ τῆς σῆς σοφίας εἰς τὸ βάθος τῆς Ὁμήρου μανίας εἰσελθεῖν.

Quin etiam secundum hunc locum Basilius praeceptor fuit Libanii. Idem vero Basilius, qui hic Homeri peritissimus videtur et semper in eo versari, non ita magno in honore hunc habet in ep. 1594, cum precibus Libanii adductus pecuniam vel tigna mittit hisce verbis: ἰσαρίθμους τοῖς ἐν Θερμοπύλαις ἀγωνιζομένοις στρατιώταις στρωτῆρας χρησθῆναι προσέταξα ἅπαντας εὐμήκεις καὶ κατὰ τὸν σὸν Ὅμηρον δολιχοσκίους, οὓς ὁ ἱερὸς Ἀλφεῖος ἀποκαταστήσειν κατεπηγγείλατο.

Neque quemquam esse puto, qui assensu suo probet hanc Seeckii opinionem[2]): „ep. 1590 an Basilius, der in einer Frage der Homerkritik (!) um Auskunft (!) gebeten wird, also wohl noch weltlicher Lehrer, nicht Geistlicher ist (!).“ . Talem opinionem quo pacto fieri potuerit ut Seeckius proferret, vix me intellegere profiteor. Quid quod Seeckius censet anno 358 Basilium fuisse profanum praeceptorem, cum ipse concesserit eum vitae ecclesiasticae se dediturum illo tempore adisse monasteria Syriae et Aegypti[3])? Unde tandem Seeckius conclusit hac epistula Libanium rogare, ut Basilius sibi de re quadam critica Homeri explicaret?

Illud autem tempus, quod recordatur Libanius, iam dudum effluxisse e verborum conexu satis elucet. Quodsi concesseris Libanium hic prioris aetatis meminisse, rem commenticiam esse senties etiam hanc, de qua Libanius loquitur hisce verbis: ἔγωγε ἐκεῖνος ὁ προσθέων, ὁπότε φανείης, καὶ ὡς ἥδιστα ὑπέχων τὰ ὦτα τῷ ῥεύματι τῆς γλώττης καὶ λέγοντος εὐφραινόμενος καὶ μόλις ἀπαλλαττόμενος καὶ πρὸς τοὺς ἑταίρους λέγων ὡς οὗτος ἀνὴρ τοσούτῳ καλλίων τῶν Ἀχελῴου θυγατέρων, ὅσῳ θέλγει μὲν ᾗπερ ἐκεῖναι, βλάπτει δὲ οὐχ ὥσπερ ἐκεῖναι. Quando enim Libanius commeavit ad Basilium? Cum anno 358 Libanius, ut

---

[1]) Sievers l. c. p. 259, 4. [2]) Seeck p. 47.

[3]) Seeck p. 34: „Basilius bereiste, ehe er sich ganz dem geistlichen Leben widmete, die Klöster von Syrien und Ägypten, und das zwar zu einer Zeit, wo Athanasius dort nicht zu finden war. — Wenn also Basilius im Jahre 358 nach Antiochia kam, war er nicht in der Lage, dort die Bekanntschaft des Athanasius zu machen.“

Seeckius ipse demonstrare conatus est, convenerit cum Basilio in domo Strategii, epistulam autem prioris temporis consuetudinem respicere equidem probaverim, sine ulla ratione esse haec Libanii personati quivis concedere debebit.

Quis vero est, qui credat Libanium, sophistam illum, Basilium, qui quattuordecim circiter annis natu minor erat, istis verbis adulatum esse? Qua cum adulatione egregie concinit Basilii personati hoc ridicule dictum: ἀλλ' ἡμεῖς μέν, ὦ θαυμάσιε, Μωσεῖ καὶ Ἠλίᾳ καὶ τοῖς οὕτω μακαρίοις ἀνδράσι σύνεσμεν ἐκ τῆς βαρβάρου φωνῆς παραλεγομένοις ἡμῖν τὰ ἑαυτοῦ καὶ τὰ παρ' ἐκείνων φθεγγόμεθα νοῦν μὲν ἀληθῆ, λέξιν δὲ ἀμαθῆ.

Verus Libanius se ab adulescente et eo christiano superari minime concessit, in hac autem epistula Basilium principatum tenere ipse pronuntiat: ἐγὼ δέ σε τῇ μὲν ἄλλῃ νενικηκέναι συγχωρῶ. Quae cum omnia abhorreant ab iis, quae de utriusque viri vita atque ratione constant, epistulam subditam esse censeamus necesse est. Iam Wolfius cum difficultates explanare nequiret, hanc epistulam ad Bassianum quendam scriptam esse affirmavit inscriptione adductus, quam invenit in codice Parisino gr. 2962[1]), qui derivatus est ex codice Vaticano 85 vel Vossiano[2]). Titulus non est mutandus, praesertim cum in media epistula nominetur idem Βασίλειος. E contrario hac re non inscriptionem falsam sed epistulam adulterinam esse confirmatur.

Et ea epistula Seeckio maxime idonea videtur ad epistularum nostrarum integritatem demonstrandam.

Hoc unum autem mihi certum videtur esse huius epistulae scriptorem id egisse, ut omnibus, qui legunt, Basilius summam doctrinam, egregiam litterarum veterum scientiam sibi acquisivisse videretur. Etsi revera Basilius, ut supra diximus, veterum studio maxime operam dedit, tamen, qui hanc epistulam scripsit, omnem

---

[1]) Wolf p. 723 s. not.

[2]) Tres sunt codices vetustissimi qui ad emendandas Libanii epistulas praeter ceteros in censum veniant: Vaticanus gr. 83 scriptus e maiore parte saeculo XI, e minore autem, ut R. Foerster putat, saec. XII, Vaticanus gr. 85 eadem aetate, Vossianus 87 saec. XII. Ex his alii codices sunt descripti — ut Parisinus gr. 3110 saec. XVII e Vaticano 83, Parisinus gr. 2962 e Vossiano — aut excerpti — ut Vaticanus gr. 1323 e Vaticano 83 aeque atque Urbinas gr. 80. De necessitudine quae inter hos codices intercedit, disseruit R. Foerster, de Lib. ll. manuscr. Upsal. Rostochii 1877, p. 6 sqq.

modum transit, cum dicat sophistam illum a Basilio institui voluisse[1]). Basilium autem a Libanio interrogatum sane mira ratione respondisse narrat: ταῦτ' ἐμοῦ λέγοντος ἐγέλας ἀρνεῖσθαι μὲν οὐκ ἔχων, ὡς οὐκ ἂν δύναιο βουληθείς, δωρήσασθαι δὲ οὐκ ἐθέλων.

Haec fere habui, quae de epistula 1590 dicerem.

Iam transeo ad epistulam 1603 (357), quae aeque atque ep. 1590 in Vossiano exstat (VI, 8).

Quam epistulam, quae omnium prima scripta esse dicitur, ad annum 356 spectare Seeckio non assentior. Eum enim in epistulis secundum temporis rationem collocandis plane in errorem incidisse uno huius epistulae exemplo satis probari potest. Mirum quidem est, quod de Alcimo dicitur in extrema epistula: τὸν δὲ Ἄλκιμον ἀκούω τὰ νέων ἐν γήρᾳ τολμᾶν καὶ πρὸς τὴν Ῥώμην πέτεσθαι περιθέντα σοι τὸν τοῦ συνεῖναι τοῖς παιδαρίοις πόνον.

Idem Alcimus nominatur a Libanio in epp. 378 et 712. Secundum quidem ep. 712, quam Seeckius cum Sieversio conspirans a. 363 scriptam esse non negat, Alcimum usque ad annum 363 apud Libanium Antiochiae fuisse apertum est, nam ita legis: ἕως μὲν οὖν Ἄλκιμός μοι παρῆν, εἶχον τὸν δεχόμενον τοὺς λόγους . . . ὡς δὲ ἐκεῖνος ἀπῆρε, τὴν ὀροφὴν ἐποιούμην ἀντὶ τοῦ φίλου. . . . ἔλεγον· ὁ Βασιλεὺς ἐκάλει.

Quomodo autem id quadrat ad id quod Seeckius opinatur Libanium a. 356 certiorem fieri Alcimum paulo ante, cum senex esset, Romam profectum esse?

Quid? Ab utriusque viri vita nonne alienum est illud: ὦ χρόνων ἐκείνων, ἐν οἷς τὰ πάντα ἦμεν ἀλλήλοις, νῦν διῳκίσμεθα πικρῶς[2])? Tanta inter Libanium et Basilium necessitudo minime fuit. Accedit quod ex epistula Alcimum Romam profectum Basilio interim adulescentium instituendorum laborem imposuisse comperimus, id quod optime ad rem quadrare Seeckius contendit. Sed primum quidem est cur mireris, quod Libanius, qui

---

[1]) Sane mirum quod Seeckius dicit Basilium diligentius Homero studuisse quam Libanium! Quis est qui credat, illum ethnicum qui priscam aetatem toto animo revocavit, in illis gravissimis studiis cessisse christiano multis annis minori natu?

[2]) Similiter Basilius alloquitur Eusebium: Bas. ep. 271 (Garnier 417 B) *ὅσου γε ἦν ἄξιόν μοι ὑπομνησθῆναι ἡμερῶν ἐκείνων ἐν αἷς πάντα ἡμῖν ἐξ ἴσου πρὸς ἀλλήλους ὑπῆρχε.* Ex hac ep. 271 illam epistulae 1603 locutionem fluxisse veri est simile.

saepe queritur, quod iuvenes Romam petant, scilicet quod omnino in res Romanas infesto animo erat[1]), tam facile dolorem aegritudinemque abicere potest neque quicquam adicit verbis: τὸν δὲ Ἄλκιμον . . . ἀκούω πρὸς τὴν Ῥώμην πέτεσθαι. Deinde quomodo quadrat ad rem quod hic comperimus Basilium adulescentes docuisse? Apertum est secundum Seeckii quidem sententiam Basilium, postquam Athenis usque ad annum 356 exeuntem vel primam partem anni 357 litterarum studiis operam dedisset, aliquamdiu fuisse dicendi magistrum.

Equidem ad illam sententiam non accedo. Probari saltem non potest Basilium publico rhetoris munere functum esse, etiamsi eum precibus amicorum et civium Caesariensium commotum orationes quasdam in foro habuisse verisimile est. Ex epistulis enim Basilii nihil aliud colligi potest nisi eum tum, cum Emmeliam matrem[2]) prope Neocaesaream degentem convenisset, ibi paululum moratum adiisse legatos nobilissimos ab urbe Neocaesarea missos, qui viro eloquentissimo persuaderent, ut iuventutis cura suscepta cum huius urbis civibus praeclaras ingenii facultates communicaret. Verum enim vero si omnia munera publica dignitatesque Basilio promisissent, eum ad eas accipiendas non commovissent, qui multo graviora in animo habuit, ea nempe, quae ad deum celebrandum pertinebant. Basilius ipse de hac legatione loquitur[3]): καὶ νῦν ἀξιῶ αὐτῶν ἕκαστον τῶν παλαιῶν ἐκείνων ἀναμνησθῆναι, ὅτε ἐκάλει μὲν ἡμᾶς ἡ πόλις ἐπὶ τὴν τῶν νέων ἐπιμέλειαν, πρεσβεία δὲ παρῆν τῶν παρ' ὑμῖν ἀνδρῶν οἱ ἐν τέλει, μετὰ δὲ ταῦτα, ὅπως πανδημεὶ πάντες περιχυθέντες ἡμᾶς, τί μὲν οὐχὶ διδόντες, τί δὲ οὐχ ὑπισχνούμενοι; ὅμως κατασχεῖν ἡμᾶς οὐκ ἠδυνήθησαν.

Neque vero reticeo, quod Gregorius Naz. in Basilii laudatione de hac re tradidit. Comperimus enim Basilium et Gregorium in patriam reversos paululum mundo et scaenae se dedisse: ὡς δ' οὖν ἐπανήκομεν, μικρὰ τῷ κόσμῳ καὶ τῇ σκηνῇ χαρισάμενοι καὶ ὅσον τὸν τῶν πολλῶν πόθον ἀφοσιώσασθαι (οὐ γὰρ αὐτοί γε εἴχομεν θεατρικῶς οὐδ' ἐπιδεικτικῶς); quibus ex verbis eum dicendi magistrum fuisse nequaquam concludimus. Basilius ipse quidem

---

[1]) Cf. Sievers p. 162, 68, ep. 876, 874. Foerster, Fleck. Jahrb. 1876 p. 491.

[2]) Summa pietate erga matrem affectus erat Basilius, quam mortuam gravibus sane verbis luget: *νῦν δὲ καὶ ἣν μόνην εἶχον τοῦ βίου παραμυθίαν τὴν μητέρα, καὶ ταύτην ἀφῃρέθην ὑπὸ τῶν ἁμαρτιῶν μου.*

[3]) Ep. 210 n. 2. Garnier-Maranus tom. III, 314.

abhorrebat a tali ostentatione ut amicus: τάχιστα ἐγενόμεθα ἡμῶν αὐτῶν καὶ τελοῦμεν εἰς ἄνδρας ἐξ ἀγενείων, ἀνδρικώτερον τῇ φιλοσοφίᾳ προσβαίνοντες.

Vix igitur cogitari potest Basilium, etsi orationes quasdam habuerit, rhetoris munere functum fuisse adulescentibus eius scholam frequentantibus.

Restat ut unum adiciam, quod summi momenti est. Secundum Seeckium quidem Libanius hanc ep. 1603 scripsit a. 356, cum Basilius magister dicendi fuit Nicomediae. Ita legis apud Seeckium p. 31: „Von Basilius steht es fest, daß er seine Studien in Athen bis Ende 355 oder Anfang 356 fortsetzte und dann zeitweilig als rhetorischer Lehrer tätig war. Im Eingang des Briefes wird Basilius glücklich gepriesen, daß er sich wieder in demselben Kreise befinde, in dem er früher mit Libanius gemeinsam so schöne Tage verlebt habe. Und wirklich ist dieser fünf Jahre lang . . . in Nikomedia als Lehrer tätig gewesen; daß aber Basilius die Schule unseres Redners weder in Antiochia noch, wie man gewöhnlich annimmt, in Konstantinopel besuchte, sondern in Nikomedia, findet noch eine Bestätigung durch ep. 1581.“ — In hac enim epistula dici Basilium persuasisse Celso, ut una secum causa studiorum Athenas iret; Celsum autem Libanii, cum Nicomediae esset, discipulum fuisse, elucere ex Lib. epistula 654.

Unde tandem conclusit Seeckius Athenis reversum Basilium Nicomediae fuisse rhetorem, qua in urbe idem priore tempore frequentasset Libanii scholam? E Seeckii quidem sententia Nicomediae Libanii discipulus fuit Basilius, priusquam Athenas profectus esset, id est ante annum 350 vel 351. Pro argumento ille habet epistulam 1581. Sed haec est improbanda argumentatio, si alterius epistulae veritatem demonstrare vis altera, quae ipsa quoque nondum comprobata est. Gravissimus est Seeckii error, cum censet Basilium ante studia Atheniensia per annos Nicomediae Libanii discipulum fuisse. Haec est Basilii vitae ratio: patria relicta primum Caesaream causa studiorum petivit, tum Constantinopolim adiit, post Athenas. Ac ne haec, quae disputavi, e meo potius sensu quam e veritate expressa videantur, testimonia ipsa Gregorii Naz. in medium proferam, quae rem paene sub oculos subiciunt: aperte dicit in or. 43, 13: ἐπεὶ δὲ ἱκανῶς εἶχε τῆς ἐνταῦθα παιδεύσεως (sc. in patria), ἐπὶ τὴν Καισα-

ρέων πόλιν ἐπείγεται. or. 43, 14: ἐντεῦθεν ἐπὶ τὸ Βυζάντιον τὴν προκαθεζομένην τῆς Ἑῴας πόλιν, ἐντεῦθεν ἐπὶ τὸ τῶν λόγων ἔδαφος τὰς Ἀθήνας ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πέμπεται.

Illud testimonium quomodo fieri potuerit, ut Seeckium fugerit, non intellego.

Epistulam 1603 penitus pugnare cum aliis Seeckius Maasiusque non perspexerunt. Quid quod Libanius in hac epistula fortunatum praedicat Basilium, qui Nicomediae rhetoris munere fungatur, qua in urbe ipsi cum illo summus usus fuerit. Reapse Libanius paucis annis post se ignorasse profitetur, quid obtigisset Basilio Athenis reverso? Cum enim in ep. 1603 — id est anno 356 — Libanius gratuletur Basilio, quod rhetoris munere fungens Nicomediae versetur, in ep. 1581 — id est anno fere 365 secundum Seeckii ipsius rationem — haec scribit ad Basilium: ἐπειδὴ δὲ ᾠήθης δεῖν καὶ τὰς Ἀθήνας ἰδεῖν, καὶ τὸν Κέλσον ἔπειθες, συνέχαιρον τῷ Κέλσῳ τῆς σῆς ἐξηρτημένῳ ψυχῆς. Ἐπανήκοντος δέ σου καὶ ἔχοντος τὴν πατρίδα ἔλεγον πρὸς ἐμαυτόν· τί νῦν ἡμῖν ὁ Βασίλειος δρᾷ; καὶ πρὸς τίνα βίον ὥρμηκεν; ἆρ' ἐν δικαστηρίοις στρέφεται τοὺς παλαιοὺς ῥήτορας ζηλῶν ἢ ῥήτορας εὐδαιμόνων πατέρων ἀπεργάζεται παῖδας; Paulo post autem nonnulli venerunt, qui eum certiorem facerent Basilium multo his praestantiorem viam ingressum esse atque id unum in animo habere, ut Deo amicus fieret: ὡς δὲ ἧκόν τινες ἀπαγγέλλοντες ἀμείνω σε πολλῷ τουτωνὶ τῶν ὁδῶν πορεύεσθαι καὶ σκοπεῖν, ὅπως ἂν γένοιο Θεῷ μᾶλλον φίλος ἢ συλλέξαις χρυσίον, εὐδαιμόνισα σέ τε καὶ Καππαδόκας.

Secundum igitur ep. 1603, ut Seeckius vult, Basilius cum Athenis revertit, magister dicendi fuit Nicomediae, secundum ep. 1581 omnibus muneribus amotis deo celebrando se dedidit!

Haec autem omnia praeterierunt Seeckium; ac luce clarius est alteram epistulam funditus pugnare cum altera. Tales autem discrepantiae nemini nisi falsario tribuendae sunt.

Sed cum de epistula 1581, quam ad Seeckii labefactandam argumentationem in discrimen vocavi, progrediente libello disserendum mihi sit, hoc loco me contineo epistulis 1590 (345) et 1603 (358), quae gravibus praetermissis offensionibus, quas singillatim praebent, ambae multas difficultates ad temporum ordinem

pertinentes habent. Neutra enim prior scripta videtur. Hunc sibi locum vindicare epistulam 1603 facile cognosces. Libanius enim sperat Basilium non aegre laturum esse iter Alcimi, cum idem non aegre tulerit (sc. in epistula, qua Basilius antea Libanium de Alcimi itinere certiorem fecerat), quod ipse non prius scripserit: οἴσεις οὐ χαλεπῶς, ἐπεὶ καὶ ἡμῖν τοῦ μὴ γράψαι πρότερον οὐκ ἔσχες χαλεπῶς (sub finem ep.).

Sed id pugnat cum ep. 1590, in qua magis sibi defensione opus esse se arbitrari dicit Libanius, quod non pridem (πάλαι) ad illum scribere coeperit, quam excusatione, quod scribere incipiat. Seeckii quidem sententia (p. 31) cum litterarum commercium per duos annos (356—358) intermissum sit, non mirum est quod epistula 1590 (anno 358) omnino scripta videtur. At equidem ei non assentior: nam cum eodem anno, ut ipse censet, quo Libanius in domo Strategii convenerat cum Basilio, scripta sit epistula, sine ulla ratione sunt Libanii verba: μᾶλλον ὅτι μὴ πάλαι σοι γράφειν ἠρξάμην, οἶμαι μοι δεῖν ἀπολογίας ἢ νῦν παραινέσεως, ὅτι τοῦτο ποιεῖν ἠρξάμην. Ex hac igitur epistula tunc primum scripsisse Libanium eumque priorem scripsisse patere videtur. At cum hac pugnat ep. 1581 (336). In ea quidem epistula nullus invenitur locus, quo probetur, cum adulescens ad Libanium venisset cum litteris Basilii conquerentis, quod sui Libanius oblitus esset, eum antea ad Basilium scripsisse. Non iniuria igitur haec Libanii epistula omnium prima ad Basilium scripta videtur.

Quod si hae epistulae genuinae essent, tales difficultates se non offerrent, immo recta temporis ratio cognosceretur.

Sequitur ut afferam epistulam 1605, quae a Wolfio e Vossiano adiecta apud Maranum nondum exstat; invenitur vero non modo in codd. Vaticano 85 et Vossiano 77, sed etiam in codice Laurentiano 57, 19 (Medic. B apud Wolfium) et in Ambrosianis codicibus. Quam Sieversius in dubitationem vocavit, ne Seeckius quidem plane comprobat. Ita enim scribit Libanius personatus: δεῖ δή σε τοὺς νεανίσκους, ὑπὲρ ὧν ὡς ἡμᾶς ἦλθες, μὴ μόνον ἐκ τῆς κηδείας, ἀλλὰ καὶ ἐμὴν χάριν φιλεῖν. Verum non dubito quin omnes mihi assensuri sint dicenti Basilio, cum episcopus Caesareae esset, multo graviora negotia conficienda fuisse, quam ut paucorum adulescentium causa ad Libanium Antiochiam proficisceretur.

Iam hac parte disputationis ad finem perducta, quae consecuti sumus, paucis verbis comprehendamus. Hoc unum probavisse mihi videor eas epistulas, quae in Vaticano 85 et in Vossiano exstant, non modo minime idoneas esse ad demonstrandum Libanium ad Basilium scripsisse, sed e contrario tam graves offensiones praebere, ut in adulterinis ponendae sint.

Quibus enucleatis iam de epistularum collectione, quae in appendice Vaticani 83 exstat, disserendum est et de reliquis epistulis, quae neutro corpore continentur.

## Caput II.

### De epistulis, quae in appendice Vaticani 83 exstant, et de reliquis epistulis: 1588, 1602, 1604.

In collectione codicis Vaticani 83 etiam responsa Basilii inveniri cum iam supra commemoraverim, nunc ad singulas epistulas pertractandas, ut pateat, quod iudicium ex ipsis sumi possit, accingor.

Collectio oritur ab epp. 1580—1585 (335—40), quas ad annum 371 pertinere Seeckius vult. Secundum hunc ratio necessitudinis, quae inter epistulas 1—6 intercedit, haec est, ut tertia (1582) respondeat secundae (1581), quarta (1583) tertiae, quinta (1584) quartae, sexta (1585) quintae, prima denique Basilii epistulae amissae responsum reddat.

Has epistulas in anno 371 ponendas esse ille probare conatur ex ep. 1582, secundum quam Basilius brevi ante episcopus consecratus sit. Ita enim initio epistulae Basilius loquitur: Ἰδού σοι καὶ ἕτερος ἥκει Καππαδόκης, υἱὸς ἐμὸς καὶ αὐτός· πάντας γε ἡμῖν εἰσποιεῖ τὸ σχῆμα τοῦτο, ἐν ᾧ νῦν ἐσμέν.

Egomet ipse scriptorem huius epistulae illud tempus praetendere persuasum habeo. Minime vero haec epistula anno 371 scripta est[1]); contra hoc enim tempus dicere epistulam 1581, cui respondet epistula 1582, ut Seeckius ipse concessit, si attente perlegeris, intelleges. Qua in epistula Libanius se adulescentis

[1]) In Seeckii opinione pertinente ad epp. 1581—1585 acquievit Maasius l. c. p. 1121: „Die Briefe 1581 u. 1583 sind durch die persönlichen Anspielungen gesichert, die Seeck vorzüglich erläutert hat. Mit 1583 aber sind 1582, 1584, 1585 untrennbar verbunden."

a Basilio missi admiratum esse virtutem declarat atque Celsum laudasse, quod is una cum Basilio Athenas petivisset; sibi ignotum fuisse, quid Basilius ageret, utrum in foro eloquentiae laude floreret, an fortunatorum parentum rhetores pro nihilo haberet. Ubi autem certior factus esset Basilium in patriam reversum praestantissimum vitae genus amplexum esse, et ipsum et Cappadoces beatos se existimasse.

Cui tandem verisimile videtur Libanium vere ethnicum gavisum esse, quod Basilius christiani sacerdotis munus petivisset? Haec sane abhorrent a Libanio, qui in christianos habuit fervidum odium. Sed alia atque ea graviora epistulam subditam esse evincunt. Omnes mihi concedent hanc epistulam omnino primam a Libanio scriptam esse videri, ex quo tempore illi cum Basilio Constantinopoli vel, ut Seeckius vult, Nicomediae usus fuit. Nam respicit Libanius ea tempora, quae ex illa aetate abierunt; ignotum sibi fuisse dicit, quid Basilius egisset posteriore tempore. At si tanta fuit Basilium inter et Libanium necessitudo, quanta ex his epistulis elucet, tum demum alterum misisse epistulas alteri, cum Basilius episcopi munere fungeretur, et Libanium tum demum intellexisse Basilium maximo studio in Deo celebrando versari, non in auro colligendo, hoc, inquam, minime est credibile. Immo haec epistula, nisi ficta esset, brevi post annum 356, quo Basilius in patriam rediit, ponenda esset, nam paulo ante Libanius certior factus esse videtur de Basilii rebus; id autem minime convenit cum insequenti ep. 1582, ex qua tunc episcopum fuisse Basilium elucet. Quam epistulam 1582 respondere epistulae 1581 atque paulo post scriptam esse Seeckius non negat. In utraque enim epistula mentio fit Cappadocum, atque in ep. 1582 Basilius alium iuvenem Cappadocem Libanio commendat educandum: ἰδού σοι καὶ ἕτερος ἥκει Καππαδόκης. Alteram igitur epistulam contra alteram temporis ordine dicere apparet.

Sed alia accedunt, cur postquam suspicio subnata est, reiciendas esse epistulas censeam. Insunt enim, quae nequaquam conveniant cum rebus gestis eorum, qui hic nominatim afferuntur. Libanius quidem scribit Basilio Firminum Cappadocem semper praeter omnes floruisse, ceteros semper ab eo superatos esse; ita autem legis: Φιρμῖνος δὲ ἐκεῖνος ὡς πανταχοῦ διετέλεσε κρατῶν, εὖ οἶδα. Miratur deinde Libanius quod Basilius de eo nihil in

epistula antecedente dixit; omnino num Basilius viderit Firminum ante Cappadoces missos dubitat: δοκεῖς δέ μοι καὶ τούτους ἀπεσταλκέναι πρὶν ἢ τὸν Φιρμῖνον ἰδεῖν. ἢ γε αὐτὸν οὐκ εἶχε τὰ γράμματα;

Gravi in errore Seeckius versatur, cum dicit (p. 156): „Von Basilius dem Libanius empfohlen, wird er (Firminus) dessen Schüler, tritt dann in ein Offizium ein und läßt sich endlich als Lehrer der Rhetorik in Cappadocien nieder (ep. 968).“ Qui nexum verborum consideraverit, dubitare non poterit quin hoc falsum sit. Nequaquam Firminus hac epistula Libanio commendatur, sed Libanius ipse quaerit, quid ille agat, num uxorem in matrimonium ducturus sit: καὶ νῦν τί ποιεῖ ἢ τί μέλλει Φιρμῖνος; ἔτ' ἔστιν ἐν τοῖς τῶν γάμων πόθοις; pergit autem: ἢ ἐκεῖνα μὲν πάλαι πέπαυται, βαρεῖα δὲ ἡ βουλὴ καὶ πᾶσα ἀνάγκη μένειν; ἢ τίνες εἰσὶν ἐλπίδες, ὡς αὖθις ἔσται λόγων κοινωνός; ἀποκρινάσθω τι ἡμῖν καὶ εἴη μέν τι χρηστόν. ... εἰ δὲ Ἀθήνησιν νῦν ὁ Φιρμῖνος ἐτύγχανεν ὤν, τί ἂν ἔδρων οἱ βουλεύοντες παρ' ὑμῖν; Secundum hanc epistulam rhetorem fuisse Firminum vel rerum causarumque actorem atque eum praeclarum, ita ut eo absente magistratus angustiis premerentur, elucet. Magna est eius dicendi facultas: ἐντεῦθέν γε αὐτῷ τῶν λόγων ἡ δύναμις, neque ignorat Libanius, quantos honores gloriamque ille adeptus sit. Quin etiam Basilium ipsum antea scripsisse Libanio eius gloriam neminem superare ex eadem epistula comperimus. Scribit enim Libanius: πολλῶν δὲ ἐπαίνων ἀπολαύσας οὐκ οἶδα ὅτι πώποτε τηλικούτων, ἡλίκων νῦν ἐν τοῖς σοῖς ἀκήκοα γράμμασιν. Τό γε μηδένα ἂν τὴν ἐκείνου δόξαν ὑπερβαλέσθαι σὲ τὸν λέγοντα εἶναι πόσον τι χρὴ νομίζειν ἐκείνῳ; Priore tempore Firminus condiscipulus fuisse videtur Libanii, qui sperat denuo illum studiorum socium esse futurum: ἢ τίνες εἰσὶν ἐλπίδες, ὡς αὖθις ἔσται λόγων κοινωνός; ἀποκρινάσθω τι ἡμῖν καὶ εἴη μέν τι χρηστόν. Et vehementer cupit illum ad se commeare: πρός γε τὸ πάλιν αὐτὸν δεῦρο δυνηθῆναι ἐλθεῖν τίνα χρὴ προσπαρακαλεῖν σύμμαχον;

Haec autem omnia abhorrent ab illius rebus gestis, de quibus aliis Libanii epistulis certiores fimus. Hunc enim Firminum eundem esse atque in Libanii epp. 968, 986 appellatum plane elucet, praesertim cum hic atque illic Cappadox dicatur. Epistula autem 968 Libanii extremae aetati tribuenda est, cum Cimonem

filium, qui iam diem supremum obierit, in ipsa deploret; quam ob rem haec epistula circiter anno 391 cum Sieversio[1]) et Seeckio[2]) collocanda est. Firminum tum demum rhetoris munus suscepisse apparet ex huius epistulae verbis: Τί γάρ μοι τοῦ παρόντος ἢ μεῖζον ἢ ἶσον; Φιρμῖνος ῥίψας τὸν στρατιώτην ἐνέδυ τὸν σοφιστήν. Καὶ θρόνος ὁ τούτῳ πρέπων καὶ βάθρα καὶ βίβλοι καὶ νέοι παιδευόμενοι καὶ λόγοι ποιούμενοί τε καὶ δεικνύμενοι δονοῦντες θέατρον μουσικόν. τοιοῦτόν γε οἱ Καππαδόκαι. καὶ βραδέως μὲν ταῦτα.

Duodecim igitur annis post mortem Basilii (a. 379)[3]) rhetor factus est Firminus, cum secundum ep. 1581 iam Basilio vivo circiter a. 371, quo anno haec epistula collocanda esset, rhetor fuerit praeclarus, cuius loquendi facultas atque gloria, quam adeptus erat, cum Basilium tum Libanium summa admiratione affecit.

Quomodo haec conveniunt?

Sane perspicuum est falsarium multis in erroribus versatum esse antecipantem, quae viginti circiter annis post revera facta sunt. Et verum esse, quod diximus, declarant etiam haec. In ep. 1581 Libanius personatus studiorum socium facit Firminum, in ep. 968 Libanius verus discipulum vocat eundem Firminum. Nam legis sub finem ep. 968: ᾤμην τε Φιρμῖνον τὸν δίκαιον μαθητήν, εἰ καὶ μὴ μακρά, μικρά γε ἐν τοῖς αὐτοῖς αὐτοῦ πολίταις ἐρεῖν περὶ μικρῶν τῶν τοῦ Κίμωνος καὶ ποιήσειν, ὃ τῶν ἡμῖν ὡμιληκότων τινὲς ἔπραξαν.

Harum epistularum scriptorem res gestas illorum, qui nominatim afferuntur, plane confudisse praeter Firminum[4]), ut in-

---

[1]) P. 197. [2]) P. 156. Cf. de filio epp. 1329, 763, 878, 921, 962.

[3]) Basilium anno 379 mortuum esse colligitur partim ex Hieronymo, qui (de vir. ill. c. 116) illum „Gratiano regnante" de vita decessisse dicit, partim ex ep. 76 Gregorii Naz. ad Gregorium Nyss. data, qua se excusat ille, quod ad iusta Basilio facienda venire non potuerit; extrema autem anni 379 parte Gregorius Naz. rediit.

[4]) Firmino quodam etiam Basilium familiariter usum esse nescio an falsarius sciverit. In ep. enim 116 (editionis Marani) quaerit Basilius ex Firmino (circ. a. 372), quid agat et quid effecerint exercitationes asceticae: *πῶς μέν σοι τὸ σῶμα ἔχει; ὅπως δέ σοι τὰ τῆς ἀσκήσεως;* queritur, quod recta via aberraverit: *ἐπεί γε ἀκούομεν, ἃ καὶ λέγειν αἰσχυνόμεθα, καταλιπόντα σε τὴν τῶν μακαρίων προγόνων τάξιν ἐπὶ τὸν πατρὸς πάππον αὐτομολεῖν καὶ Βρεττάνιον σπουδάζειν γενέσθαι ἀντὶ Φιρμίνου, ἐπιζητοῦμεν αὐτὰ ταῦτα ἀκοῦσαι καὶ τοὺς λογισμοὺς μαθεῖν, καθ' οὓς ἐπὶ ταύτην ἐλθεῖν τοῦ βίου τὴν ὁδὸν ὑπήχθης.* Et

tellegas, aliud quoque documentum affero. Seeckius ipse affirmat Celsum, qui in ep. 1581 nominatur, Nicomediae Libanii discipulum fuisse; atque inde ex eius opinione una cum Basilio Athenas studiorum causa abiit. Et reapse Celsum Nicomediae Libanii scholas frequentasse ego quoque statuo, quia e Libanii ep. 654 sequitur. Non vero credibile est, quod legimus in ep. 1581: ἐπειδὴ δὲ ᾠήθης δεῖν καὶ τὰς Ἀθήνας ἰδεῖν καὶ τὸν Κέλσον ἔπειθες, συνέχαιρον τῷ Κέλσῳ τῆς σῆς ἐξηρτημένῳ ψυχῆς. Quid iudicemus? Sane apertum est. Quoniam demonstravimus Basilium nunquam Nicomediae fuisse Libanii discipulum, id quod Seeckius hac epistula comprobare vult, Basilium una cum Celso Nicomedia profectum esse Athenas sine ratione est. Epistula igitur est subdita.

Et hoc perpetuo animis nostris infixum haereat: harum epistularum scriptor, etsi res gestas illorum, qui nominatim afferuntur, plane confudit, tamen consilium optime consecutus est, ut, quam lepide rhetor ac philosophus ethnicus episcopo Christiano blanditus sit, probet. Quod quidem infra multis aliis locis confirmabitur.

Quanta sit blanditia, id ut ex antecedente epistula, ita ex ea, de qua acturus sum, facile cognoscitur.

Iam transeo ad ep. 1583, quae epistulae 1582 respondere dicitur. Quantopere hanc praecedentem Libanius ad caelum effert! Se illa lecta νενικήμεθα exclamasse narrat atque epistula ab Alypio recitata apud complures honoratos viros palmam Basilio omnes dedisse[1]). Ceterum studia sua ex pecunia se metiri

---

cum existimet illum propter pudorem tacuisse, ut armis abiectis in patriam redeat, hortatur. Comperimus igitur hunc Firminum circa a. 372 stipendia fecisse, haec autem paulo post eum reliquisse ex sequenti ep. 117 colligimus. Nam hic promittit se ad priorem vitam esse rediturum atque sese impetraturum esse sperat, ut brevi dimittatur. Num ratio intercedat inter Firminum, qui in Libanii ep. 968 appellatur, et eum, cui Basilius scribit epistulam 116, difficile est dictu.

[1]) Velim conferas, quae similitudo intercedat inter epistulae 1585 verba: *ταύτην εἰργάσω τὴν ἐπιστολήν, ὥσθ' οἱ παρόντες οὐκ εἶχον μὴ πηδᾶν ἀναγινωσκομένης*, et verba ep. 1056: *πολλοὶ δὲ καὶ τῶν οὐ βουλευόντων ἐπέρρεον γνόντες ἐφ' ὅτῳ γε συγκαθίζομεν· δεικνυμένων δὲ τῶν γεγραμμένων οἱ μὲν ἐπήδων, οἱ δὲ ὠχρίων, οἱ δὲ ἠρυθρίων, οἱ δὲ εἰς γῆν ἔκυπτον*. Similis est locutio Libanii ep. 241: *καὶ ἅμα τε ἀνεγίγνωσκον καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἐπήδων*. Ex his epistulis falsarium hausisse verisimile est.

negat Libanius, ac dicendi studiosos, etsi pauperes sint, pluris quam divites se aestimare declarat.

Haec epistula, si Sieversium quidem audis, optime accommodata est ad Libanii vitam et rationem. Minime vero ei[1]) adstipulor. Quod in hac epistula Libanius dicit Basilium laudibus ipsum efferendo et patribus et pueris tantum ardorem iniecisse, ut multos discipulos illum missurum esse ipse speraret, tantae vanitatis est, ut sophistae illi tribuere non possim; ita legis: πολλούς γε, οἶμαι, πέμψεις ἀεὶ μὲν καὶ πανταχοῦ τοῖς ἐγκωμίοις τοῖς κατ' ἐμοῦ χρώμενος. Equidem censeo omni ratione carere, cum episcopus esset, Basilium Cappadoces erudiendos misisse ad sophistam ethnicum, quem fervido odio in homines christianos inflammatum esse omnes sciebant. Quod cum multis epistulis comprobari possit, si epistulam 730, ut exemplum afferam, inspexeris, facile intelleges; ita autem devovet Christianum: εἰ μὲν οὖν ἔχει χρήματα τῶν ἱερῶν Ὠρίων καὶ δύναιτ' ἂν ἐκτῖσαι, παιέσθω, κεντείσθω, τὰ τοῦ Μαρσύου πα[ρα]σχέτω[2]).

Idem in ep. 722 ad imperatorem Iulianum data gaudet de deorum templis rursus patefactis. Cum vero ex moriente quaesitum esset, cui scholam suam relicturus esset, exclamasse dicitur: Chrysostomo, nisi Christiani rapuissent[3]).

Hoc vere ethnico Basilium episcopum tam familiariter usum esse cogitari non potest; contra dicit ingens ille Basilii amor Dei, quo adductus nihil aliud in animo habebat, nisi ut ecclesiam augeret, animus placidus et in amplissimo gradu demissus, etsi in colendis amicitiis omni humanitate expolitus,

---

[1]) Cf. Sievers l. c. p. 295: „Schon die Einkleidung, die Weise, wie Basilius den Brief des Libanius empfängt und mitteilt, erinnert an manchen ähnlichen Auftritt, und dasselbe ist mit dem Schlusse der Fall. — Durchaus nicht befremden darf die Höflichkeit und Bescheidenheit (!), welche ep. 1583 bis 1585 zeigt.“

[2]) Corrigendum est cum Wolfio: *πασχέτω*. Cf. t. IV p. 321 F.

[3]) Soz. VIII, 2; Cedrenus I p. 674 ed. Bonn. A. Naegele, Chrysostomus et Libanius, Romae 1908 (Estratto dal Volumine Unico stampato a cura del Comitato per i festeggiamenti del XV Centenario di san Giovanni Crisostomo) probat Chrysostomum revera Libanii discipulum fuisse et postea contempsisse atque illusisse eum, quem priore tempore summi aestimaverat. Verba Libanii morientis eius sententia optime conveniunt sophistae illi. Maasius, quem fugit illa quaestio, verba subdita esse putat, omnino negat Libanium illius magistrum fuisse. Cf. Sievers p. 203 not. 90.

tamen in repellendis Christi iniuriis summa acerbitate severitateque.

Ecce autem aliud, quod plurimum valet. Sieversius enim ipse testatur Libanium profiteri provinciam Cappadociam paucos discipulos sibi praebuisse, eam autem orationem ante hanc litterarum consuetudinem esse ponendam non verisimile esse. Neque parvi momenti hoc mihi videtur; reapse invenis illud Libanii dictum in oratione, cui titulus est: πρὸς τοὺς εἰς τὴν παιδείαν αὐτὸν ἀποσκώψαντας[1]). De discipulis suis loquitur ita: παρὰ Παφλαγόσιν εὕροις ἄν, εἰ βουληθείης, καὶ παρὰ Καππαδόκαις, οὐ πολλοὺς μὲν ἐνταῦθα, οὐδὲ γὰρ πολλοὶ παρ' ἡμᾶς ἧκον ἐκεῖθεν, εὕροις δ' ἄν τινας. Quid igitur hoc sibi vult, quod dicit Libanius in ep. 1583: οἶδα ὅτι πολλάκις τοῦτο γράψεις· ἰδού σοι καὶ ἕτερος ἥκει Καππαδόκης? Et in ep. 1595 *non desines,* exclamat, *scholam meam Cappadocibus replere?*: οὐ παύσῃ, Βασίλειε, τὸν ἱερὸν τοῦτον τῶν Μουσῶν σηκὸν μεστὸν ποιῶν Καππαδοκῶν; Minime conveniunt haec verba cum rebus. Quae cum ita sint, epistula in spuriis ponenda est. Egregie autem confirmatur, quod Libanius in illa oratione dicit paucos Cappadoces scholas suas adisse. Scimus enim ex Isidori Pelusiotae epistulis, qui initio saeculi quinti florebat, Cappadocum nequaquam ingenii cultu vel potius ingenio docili praeditorum neque humanitatem neque mores politos proprios fuisse, e contrario illos fraude, perfidia animoque servili fuisse. Ita legis in ep. 281[2]): ὕπουλον γὰρ καὶ πονηρὸν ὡς ἐπίπαν τὸ γένος, ἀναιδές, θρασύ, δειλόν, σκωπτικόν, ἀνελεύθερον, πρὸς ψεῦδος ὀξύ. Nemo dubitabit quin Isidorus modum excesserit. Neque vero ab omni parte inique dixit. Attamen non nego clarissimos viros illam terram tulisse. Satis est de Gregorio et Georgo Athanasii adversariis, Eunomio, Auxentio[3]), imprimis Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nysseno monuisse.

---

[1]) R. Foerster IV p. 346—383.

[2]) Isidori Pelusiotae opera seu de interpretatione divinae scripturae epistularum libri V ed. A. Morellus, Paris 1638. Martinus Meister, studiorum socius, me admonuit de epigrammate, quod Bergkius ponit a. 534 p. Chr. n. Anth. Pal. XI, 238: *Καππαδόκαι φαῦλοι μὲν ἀεί, ζώνης δὲ τυχόντες | φαυλότεροι, κέρδους δ' εἵνεκα φαυλότατοι.*

[3]) Cf. Ullmann, Gregor von Nazianz, der Theologe, Darmstadt 1825, p. 14 sq.

Ad propositum redeamus: hoc satis demonstravisse mihi videor sine ulla ratione esse, quod in epistulis Libanii personati de Cappadocibus narratur.

Iam transeo ad aliud argumentum. Sane mirum quod idem Basilius, qui in ep. 1582 (339) laudatione et clamore petit a Libanio, ut discipulos remittat dignos gloria illa, quam eloquentia ei pepererit[1]), in ep. 90 ad Occidentales anno 372[2]) missa haud sine gravi dolore queritur patrum dogmata contemni, homines verborum artifices pluris aestimari quam theologos, primas partes tenere mundi sapientiam expulsa crucis gloriatione[3]): ἡ τοῦ κόσμου σοφία τὰ πρωτεῖα φέρεται παρωσαμένη τὸ καύχημα τοῦ σταυροῦ.

Etsi haec verba epistulae 90, qua auxilium petit Basilius ab episcopis Occidentalibus, potissimum adversus haereticos dicta sunt, tamen omnino in animo fuisse Basilio apparet eos, qui veritatem Christi contemnerent, verba maxime aestimarent, non res.

Sed cur cogitari non potest Basilium per tantum temporis in veterum studiis versatum istas schedulas misisse Libanio? Id aliquis mihi obiciat. Equidem talem opinionem falsam esse censeo. Si attente perlegeris veri Basilii epistulas, quod attinet ad vitae rationem sententiamque, nequaquam eas cum his comparari posse mihi assentieris; maximi autem momenti sunt eae epistulae, quae in eodem fere tempore, quo epistulae mutuae scriptae esse dicuntur, ponendae sunt. Ad hoc fere tempus respicit ep. 223, cuius parvulam partem supra attuli: ἐγὼ πολὺν χρόνον προσαναλώσας τῇ ματαιότητι καὶ πᾶσαν σχεδὸν τὴν ἐμαυτοῦ νεότητα ἐναφανίσας τῇ ματαιοπονίᾳ, ἣν εἶχον προσπαρατρίβων τῇ ἀναλήψει τῶν μαθημάτων τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ μωρανθείσης σοφίας, ἐπειδήποτε, ὥσπερ ἐξ ὕπνου βαθέος παραναστὰς ἀπέβλεψά με πρὸς τὸ θαυμαστὸν φῶς τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου, κατεῖδόν γε τὸ ἄχρηστον τῆς σοφίας τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου τῶν καταργουμένων ...[4]). Eundem autem Basilium eodem fere tempore ita secum dissensisse quis probaturus est?

---

[1]) Ep. 1582: *ὃν ἀποπέμψαιο ἡμῖν ἄξιον τῶν τε ἡμετέρων εὐχῶν καὶ σεαυτοῦ δόξης, ἣν ἔχεις ἐν τοῖς λόγοις.* Similiter blanditur in ep. 1580: *τοὺς ἑκάστοτε πειθομένους παραπέμπομέν σοι τοσοῦτον αὐτοῖς χαριζόμενος ὅσον καὶ οἱ τοῖς διψῶσι καθηγούμενοι πρὸς τὰς πηγάς.*

[2]) Cf. Maranum, Vita Basil. p. 181.

[3]) Ep. 90. Tom. III p. 182. [4]) Cf. supra p. 21.

Atque etiam, cum Libanium familiarissime usum esse Basilio epistulae ipsae tradant, miramur quod ille apud sodales suos his verbis de amicissimo, qui dicitur, loquitur: Βασίλειος δὲ κεκράτηκε· φίλος δὲ ὁ ἀνήρ. Namque eos, qui cum Libanio erant, tam artam amicitiam fugere non potuisse, quin etiam Libanium ipsum de ea locutum esse consentaneum est.

Restat ut de Alypio, qui in hac ep. 1583 nominatur, nonnulla adiciam. Hoc loco Alypius appellatur Hieroclis cuiusdam nepos, cum in ep. 327 Libanius Alypium laudans Hieroclem eius filium praedicet. Non ita facile est expedire difficultates, quae in hac re diiudicanda exstant, sed spero fore ut mihi contingat. E Sieversii quidem sententia[1]), quod secundum epistulam 1583 Alypius, Hieroclis nepos, magistratuum muneribus functus est, non repugnat epistulae 327, secundum quam Alypius filium habet, cui idem nomen atque Alypii patruo est. Idem Seeckius censet[2]).

Sed quam falsa sit haec opinio, intelleges. Epistulam quidem 327 circiter annum 361/62 Alypio esse scriptam certum est[3]).

Sieversius ipse recte hunc epistulae ordinem statuit pro argumento afferens[4]) Ammianum 29, 1, 44, qui Hieroclem, Alypii filium, cum circa annum 373 de Theodori, Libanio familiaris, coniuratione quaestiones haberentur, vix mortem effugisse tradidit. Ammianus *ecce autem* inquit *Alypius quoque exvicarius Britanniarum . . . ut veneficii reus citatus est cum Hierocle filio, adulescente indolis bonae.* Ex ep. autem 327 hunc Hieroclem Libanii scholam frequentasse scimus; legis enim: τὸν δὲ Ἱεροκλέα σοι τρέφομεν[5]). Et Alypium, eius patrem, gravi munere functum esse ibidem audimus: διὰ μὲν τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς εὐδαιμονίζω σε, διὰ δὲ τὴν ἀρετήν, μεθ' ἧς ἄρχεις, ἐπαινῶ. Porro ex Ammiano 23, 1, 2 apparet[6]) brevi ante annum 363 Alypium Britanniae vicarium fuisse. Nam Hierocles, cum quaestio a. 373 haberetur, adulescens erat; ut autem concedamus iam puerum

---

1) L. c. p. 244. 2) Seeck p. 56 sub voce Alypius.

3) Hanc epistulam Seeckius a. 357 ponit.

4) Sievers p. 244.

5) Cf. Seeck p. 177: „Während sein Vater im Jahre 358 Vikar in Britannien war, beaufsichtigte Libanius in Antiochia seine Erziehung."

6) Sievers p. 244.

quindecim annorum Hieroclem a Libanio institutum esse, epistulam circa annum 361 vel 357 scriptam esse apparet. Cum autem epistula 1583 ad nullum tempus nisi ad annum 371 vel 372 spectet, id quod Seeckius ipse probat (p. 469)[1]), ea omnino pugnant contra ep. 327. Quis enim est, qui putet Hieroclem, Alypii filium, qui anno 361 vel 357, ut Seeckius vult, puer quindecim annorum eruditur a Libanio — ep. 327 — eundem decem annis post — ep. 1583 — Alypium nepotem habere, qui iam munere defunctus sit? Ita enim scribit Libanius personatus: παρεκάθηντό μοι τῶν ἐν ἀρχῇ γεγενημένων ἄλλοι τε οὐκ ὀλίγοι καὶ ὁ πάντα ἄριστος Ἀλύπιος, Ἱεροκλέους ἀνεψιὸς ἐκείνου.

Sed perspicuum est, quomodo ep. 1583 scriptor in errorem inciderit. Non ignoravit iste Alypium, qui est cum Libanio, olim magistratu functum esse. Nam ut ex epistula 1583, ita e 327 comperis Libanium gratulari Alypio, quod gravi munere fungatur: διὰ μὲν τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς εὐδαιμονίζω σε ... Sed cum parum noverit scriptor Alypium Hieroclis patrem esse, eum Hieroclis nepotem fecit. Hierocli autem, cum hac confusione Alypii patruus factus sit, gloriam tribuit, qua revera Alypius dignus erat: Ἱεροκλέους ἀνεψιὸς ἐκείνου.

Itane vero? me interpellas.

Nonne Seeckius comprobavit Alypium revera esse nepotem illius Hieroclis, cui Libanius epistulas 382, 349, 1266 scripsit? At huic Hierocles nostrae epistulae non convenit. Ille enim eloquentiae laude florens munere functus est, ut apparet ex ep. 1109, 1266[2]).

Illos viros inter se conexos esse Seeckius ex epistula modo 1583 sumpsit neque affirmatur ceteris epistulis. Accedit quod in ep. 393 Chromatius Hieroclis nepos nominatur. At concedo falsarium in factitando conexu ita versatum esse: ei noti erant et Alypius et Hierocles ille (I), qui in ep. 382 vel 1109 vel 1266 appellatur; cum autem idem sciret Alypium filium habere eiusdem nominis Hieroclis (II), Alypium cum Hierocle (I) copulavit,

---

[1]) „Ihre Zeit (ep. 1580—1585) bestimmt sich dadurch, daß Basilius kürzlich Bischof geworden ist, welche Würde er gegen Ende d. J. 370 erlangte."

[2]) Secundum Seeckium (p. 177) ille Hierocles idem est, qui Consularis Syriae Coeles (Cod. Theod. XI 36, 7; X 1, 6) anno 347 et 348 fuit.

id quod optime quadrare videbatur, praesertim cum uterque vir gravi munere functus esset.

Sed ut procedat quaestio, in ep. 1584 (339) Libanii laudes vicissim rependit Basilius, quem rursus Libanius respondens epistula 1585 extollendo adulandoque superat[1]).

Secundum epistulam 1590 Libanius Basilii discipulus videtur esse, in epistula vero 1584 Basilium fuisse Libanii discipulum exprimit verbis, quae Basilio subdit: εἰ γάρ τι καὶ ἦμεν παρ' ὑμῶν διδαχθέντες, ὑπὸ τοῦ χρόνου ἐπελαθόμεθα.

Quomodo autem, dixerit quispiam, cogitari potest falsarium ita secum dissensisse, ut in altera epistula Basilium declararet Libanii discipulum, in altera Libanium discipulum Basilii? Mihi quidem probabile videtur, cum ad consilium sylloges animum etiam atque etiam attenderet, falsarium interdum rationem rerum fugisse.

Nunc velim convertas animum ad epistulam 1586[2]) quaerens haec verba num tribuenda sint Libanio: πῶς ἄλλοις κηρύττων μὴ χρῆναι μέχρι δυσμῶν ἡλίου λύπην φυλάττειν αὐτὸς ἐν πολλοῖς ἡλίοις ἐφύλαξας; Iam Wolfius (p. 721 not. 6 et 7) hic illum in Novum Testamentum iocari suspicatus est argumenti loco habens I Cor. 9, 27: ἀλλὰ ὑποπτάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ, μή πως ἄλλοις κηρύξας αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι.

Hunc locum scriptor contaminavit cum Eph. 4, 26: ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω ἐπὶ παροργισμῷ ὑμῶν μηδὲ δίδοτε τόπον τῷ διαβόλῳ.

Conclusit Wolfius „ex his itemque aliis locis" patere Libanium Novum Testamentum perscrutatum esse. Sed Libanium Novum Testamentum novisse plus quam incertum est. Illi loci non sunt Libanii, sed falsarii.

Transeo ad ep. 1580, quae in codicis Vaticani 83 appendice prima exstat.

Iterum quaeramus fierine potuerit ut epistula a Basilio profecta sit. Libenter se omnes Cappadoces Libanio erudiendos missurum esse Basilius scribit atque se pudere singulos adulescentes ad eum adducere. Quoniam autem supra (p. 37) probavi

---

[1]) Minime intellego, quomodo Maasius l. c. II p. 1121 dicere potuerit Libanium epistula 1585 e verborum concertatione victoriam ferre.

[2]) Initium huius epistulae *Οὔπω μοι τῆς λύπης ὑφῆκας* idem est atque Theophylacti Simocattae in ep. 28.

Basilium omnino non misisse Cappadoces ad Libanium erudiendos, sine ratione est, quod in ep. 1580 dicitur.

Sed cum haec epistula nihil aliud ad iudicium faciendum praebeat, iam me converto ad epp. 1592—1595, quas per hiemem 371/72 esse scriptas contendit Seeckius ita inter se conexas, ut sequens epistula praecedenti respondeat.

Hanc epistulam 1592 aeque atque 1593 et 1587 Maasius in codice Patmensi 706, ut iam supra commemoravi, inter alias Gregorii Nysseni epistulas invenit. Epistula 1592 ibi inscribitur: Τοῦ σοφιστοῦ Σταγειρίου πρὸς Γρηγόριον ἐπίσκοπον. Maasio quidem titulus et facies, quam praebet Patmensis, genuina videntur; eandem epistulam a falsario commutatam in epistulis Libanii et Basilii mutuis positam esse ille existimat.

Iuvat ad iudicium faciendum utramque formam hic proponere.

Ep. 1592

in epistulis mutuis

Λιβάνιος Βασιλείῳ.

Πᾶς μὲν ἐπίσκοπος πρᾶγμα δυσγρίπιστον· σὺ δὲ ὅσῳ τοὺς ἄλλους παρελήλυθας λογιότητι, τοσούτῳ μοι καὶ φόβον παρέχεις μήπως ἔξαρνος στῇς πρὸς τὴν αἴτησιν. Κἀπειδὴ στρωτήρων δέομαι (κάμακας δ' ἂν ἢ χάρακας ἄλλος εἶπε σοφιστής[1]) οὐ χρῄζων, ἀλλὰ τοῖς ῥηματίοις ἐγκαλλωπιζόμενος ἢ τῆς χρείας γινόμενος), ἐγὼ δὲ εἰ μὴ σὺ παράσχοιο, ὕπαιθρος διαχειμάσω.

in codice Patmensi

Τοῦ σοφιστοῦ Σταγειρίου πρὸς Γρηγόριον ἐπίσκοπον.

Πᾶς μὲν ἐπίσκοπος πρᾶγμα δυσγρίπιστον· σὺ δὲ ὅσῳ τοὺς ἄλλους παρελήλυθας λογιότητι, τοσούτῳ μοι καὶ φόβον παρέχεις μὴ ἄρα ἰσχυρῶς ἐνστῇς πρὸς τὴν αἴτησιν. Ἀλλὰ ἀποθέμενος τὴν εἰς ἀντιλογίαν σοφίαν τὸν μεταδοτικόν, ὦ θαυμάσιε, ζήλωσον τρόπον. Κἀπειδὴ στρωτήρων δεόμεθα πρὸς ⟨τὸ⟩ τὸν οἶκον ἐρέψαι (κάμακας ἢ χάρακας ἄλλος εἶπε σοφιστὴς τοῖς ῥηματίοις ἐγκαλλωπιζόμενος μᾶλλον ἤπερ τῆς χρείας γινόμενος), νεῦσον πολλῶν ἑκατοντάδων δόσιν· οὐ μὲν γὰρ κἂν ἐκ τοῦ παραδείσου τεμεῖν βουληθῇς, δύναμιν ἔχεις. Ἐγὼ δὲ εἰ μὴ σὺ παράσχοιο, ὕπαιθρος διαχειμάσω. Μεγαλοψύχησον οὖν, ὦ θαυμάσιε, γράμμα ἐπιθεὶς πρὸς τὸν Ὀσιηνῶν πρεσβύτερον τὴν δόσιν κελεῦον.

---

[1]) Loci Libanii vitup. vit. t. IV 990, 16 R *κάμακας ὑποκεῖσθαι δεῖ καὶ χάρακας* ut exempli me monet Foerster. Magna copia locorum e Libanianis sumptorum has quoque ut reliquas epistulas ex ipso horum studio, quale in hoc falsario consentaneum est, profectas esse docet. Cf. p. 47.

Epistulae autem 1593 forma haec est:

in epistulis mutuis

Βασίλειος Λιβανίῳ.

Εἰ τὸ κερδαίνειν γριπίζειν λέγεται καὶ ταύτην ἔχει τὴν σημασίαν ἡ λέξις, ἣν ἐκ τῶν Πλάτωνος ἀδύτων ἡ σοφιστική σου ἡμῖν προεχειρίσατο δύναμις, σκόπησον, ὦ θαυμάσιε, τίς ἐστι μᾶλλον δυσγρίπιστος, ἡμεῖς οἱ οὕτως δι' ἐπιστολιμαίας δυνάμεως ἀποχαρακούμενοι ἢ τὸ τῶν σοφιστῶν γένος, οἷς τέχνη τὸ τελωνεῖν τοὺς λόγους ἐστίν. Τίς τῶν ἐπισκόπων τοὺς λόγους ἐφοροθέτησε; τίς τοὺς μαθητευομένους μισθοφόρους κατέστησε; ὑμεῖς οἱ προτιθέντες τοὺς λόγους ὤνια, ὥσπερ οἱ τοῦ μέλιτος ἑψηταὶ τὰ μελίπηκτα. Ὁρᾷς ὡς καὶ τὸν γέροντα ὑποσκιρτᾶν παρεκίνησας. Ἐγὼ δέ σοι τῷ ταῖς μελέταις ἐμπομπεύοντι ἰσαρίθμους τοῖς ἐν Θερμοπύλαις ἀγωνιζομένοις στρατιώταις στρωτῆρας χρησθῆναι προσέταξα ἅπαντας εὐμήκεις κατὰ τὸν σὸν Ὅμηρον δολιχοσκίους, οὓς ὁ ἱερὸς Ἀλφεῖος ἀποκαταστήσειν κατεπηγγείλατο.

in codice Patmensi

Ἀντίγραφον τοῦ ἁγίου Γρηγορίου πρὸς τὸν σοφιστήν.

Εἰ τὸ κερδαίνειν γριπίζειν λέγεται καὶ ταύτην ἔχει τὴν σημασίαν ἡ λέξις, ἣν ἐκ τῶν Πλάτωνος ἀδύτων ἡ σοφιστική σου ἡμῖν προεχειρίσατο δύναμις, σκόπησον, ὦ θαυμάσιε, τίς ἐστι μᾶλλον ἀγρίπιστος, ἡμεῖς οἱ οὕτως εὐκόλως δι' ἐπιστολιμαίας δυνάμεως ἀποχαρακούμενοι ἢ τὸ τῶν σοφιστῶν γένος, οἷς τέχνη τὸ τελωνεῖν τοὺς λόγους ἐστίν. Τίς γὰρ τῶν ἐπισκόπων τοὺς λόγους ἐφορολόγησε; τίς τοὺς μαθητευομένους μισθοφόρους κατέστησε; τούτῳ δὲ οἱ σοφισταὶ καλλωπίζονται ὤνιον προτιθέντες τὴν ἑαυτῶν σοφίαν ὥσπερ οἱ τοῦ μέλιτος ἑψηταὶ τὰ μελίπηκτα. Ὁρᾷς ὅσα ποιεῖς τῇ ἀπορρήτῳ σου καὶ μουσικῇ τῶν λόγων δυνάμει, ὅς γε κἀμὲ τὸν γέροντα ὑποσκιρτᾶν παρεκίνησας καὶ τοὺς ἀπείρους τῆς ὀρχήσεως ὑποκινεῖς πρὸς τὴν ὄρχησιν. Ἐγὼ δέ σοι τῷ κατὰ τὰς μελέτας τοῖς Μηδικοῖς ἐμπομπεύοντι ἰσαρίθμους τοῖς ἐν Θερμοπύλαις ἀγωνιζομένοις στρατιώταις στρωτῆρας χρησθῆναι προσέταξα (ἅπαντας εὐμήκεις καὶ κατὰ τὸν σὸν Ὅμηρον δολιχοσκίους, οὕς μοι σώους ὁ ἱερὸς Δίος ἀποκαταστήσειν κατεπηγγείλατο), λέγων μὴ μυρίους μηδὲ δισμυρίους στρωτῆρας, ἀλλὰ τοσούτους ὅσους τῷ τε αἰτηθέντι χρῆσαι τῷ τε λαβόντι εὐχερὲς ἀποδοῦναι.

Si concedimus epistularum 1592 et 1593 formam quam Maasius in Patmensi invenit genuinam esse aeque atque epistulam 1588, quam exhibent Vaticanus 85 et Vossianus 77 titulum habentem Λιβάνιος Ἰουλιανῷ αὐτοκράτορι, nulli dubium esse potest quin epistulae 1592 et 1593 falsarii sint. Attamen illo adminiculo niti nolo, cum illa sententia a vero abhorrere mihi videatur. Epistulae, ut in Patmensi exstant, posteriores mihi videntur, priorem autem existimo faciem, quae in epistulis mutuis invenitur[1]). In Patmensi epistulas extentas fusiusque dicendi esse genus neminem fugere potest, qui eas comparaverit cum altera facie. Quod praecipue in epistula 1593 in propatulo est, in qua nescio qui inanis dicendi tumor nos offendit. Sed si locutiones ipsas perscrutamur, rem ut diiudicemus nobis continget.

Quid hoc sibi vult epistulae Patmensis: πολλῶν ἑκατοντάδων δόσιν, cum Stagirius personatus petit a Gregorio, ut tigna ad domum tegendam mittat? Sane mirum quod Maasius disserit: „Der Notwendigkeit, die prosaische Zahl der gewünschten Stämme zu nennen, hatte sich der Sophist entzogen, indem er mit frostiger Übertreibung viele Hunderte forderte." Nullum hic locum habet frigida superlatio. Cur Stagirius non statuat numerum tignorum, quae opus erant ad tegendum, minime intellego. Immo vero numerus certus ut proferretur necesse erat.

Quam male iocatur idem Stagirius: σὺ μὲν γὰρ κἂν ἐκ τοῦ παραδείσου τεμεῖν βουληθῇς, δύναμιν ἔχεις. Scriptor epistularum mutuarum cautior erat, quam ut adhiberet talem locutionem, quae a Libanii consuetudine plane aliena est. Omnino Libanium hanc dictionem intellecturum fuisse nequaquam certum mihi videtur. Sin autem alteram formam sequimur, nonne lacuna exstat in ep. 1592: κἀπειδὴ στρωτήρων δέομαι (κάμακας δ' ἂν ἢ χάρακας ἄλλος εἶπε σοφιστὴς οὐ χρῄζων ἀλλὰ τοῖς ῥηματίοις ἐγκαλλωπιζόμενος ἢ τῆς χρείας γινόμενος), ἐγὼ δὲ εἰ μὴ σὺ παράσχοιο, ὕπαιθρος διαχειμάσω? Attamen hic verborum conexus non reiciendus est, immo facile cogitari potest auctorem epistulae, cum enuntiatio interposita sit, structuram coeptam reliquisse, id quod in ipso sermone epistulari saepissime fit.

---

[1]) Haec scripta erant, cum mihi sub oculos venit quae eundem finem habuit commentatio H. Markowskii Berl. Phil. Wochenschr. 1913, Nr. 36 p. 1150 sq.

Deinde veri haud esse simile puto trecenta tigna ad domum tegendam Nyssa Caesaream missa esse, quae nonaginta circiter milia passuum Nyssa abest.

Gravissimum autem argumentum mihi censenti meram fictionem esse hanc epistulam est, quod legimus in epistula Gregorii Naz. 25 — hunc locum Maasius ipse affert —, tunc circa Nyssam silvas non fuisse: ἡ γὰρ τῶν ξύλων σπάνις εἰς τοιαύτην ἄγει ἡμᾶς τὴν ἐπίνοιαν ὥστε λίθοις ἐρέψαι τὸ οἰκοδόμημα ὅλον διὰ τὸ μὴ παρεῖναι τοῖς τόποις ἐρέψιμον ὕλην. Nemo iam affirmabit talem epistulam genuinam esse.

Sed etiam epistulae 1593 faciem quam exhibet Patmensis, fluxisse ex altera forma pro certo licet habere. Magis genuina videtur scriptura, quae in epistulis alternis est: ὁ ἱερὸς Ἀλφεῖος quam ὁ ἱερὸς Δίος, quae in Patmensi invenitur. Auctor dicere voluisse videtur Alpheum sanctum, deum Alphei fluminis, tigna integra se relaturum esse promisisse, quod non male quadrat ad locum, praesertim cum brevi ante Homeri mentio facta sit. Adiectivum ὁ ἱερός convenit rei. Nec falso opinari videor Iliadis Λ versum 726: ἔνδιοι ἱκόμεσθ' ἱερὸν ῥόον Ἀλφειοῖο memoria tenuisse scriptorem epistulae Patmensis pro voce Ἀλφεῖος ponentem Δίος. Nomen enim fluvii Δίος nusquam inveni. Ita explicari potest ὁ ἱερὸς Δίος. Sin autem concedimus scriptorem illum Iliadis versu commotum fluvii nomen Δίος finxisse, evincitur epistulae 1593 formam, quae in epistulis alternis exstat, priorem esse. Nam in eum ipsum locum scriptor incidere non potuit, nisi novit illam epistulae formam.

Ex eo autem quod epistulae 1587, 1588, 1592, 1593 in nonnullis codicibus una stant, Maasio nullo modo licebat colligere illas ab uno falsario in epistulas alternas translatas esse.

Maasii opinione refutata alia ratione epistulam 1592 interpretabimur. Libanius quamquam episcopos avaritiae accusat, tamen, etsi timide, petit a Basilio, ut tigna ad se mittat, ne sub divo hiemare cogatur. Exponit Basilius in responso[1]) non episcopos avaros esse, sed sophistas, quorum ars sit ex eloquentia

---

[1]) Ita scribit: *ἐγὼ δέ σοι τῷ ταῖς μελέταις ἐμπομπεύοντι ἰσαρίθμους τοῖς ἐν Θερμοπύλαις ἀγωνιζομένοις στρατιώταις στρωτῆρας χρησθῆναι προσέταξα.* Lacedaemonios illos commemorasse falsarium puto ea potissimum de causa, ut efficiat concentum verborum *στρατιώταις στρωτῆρας.*

quaestum facere, atque tigna mittit trecenta. Minime vero ad Libanii res quadrant verba: ἐγὼ δέ, εἰ μὴ σὺ παράσχοις, ὕπαιθρος παραχειμάσω. Libanii enim res familiaris semper optime constituta erat[1]). Eum a Basilio pecuniam postulasse nemo accipiet. Sed concedo per breve spatium in angustiis eum fuisse, at extrema demum aetate, tum cum ab Olympio heres factus est, qui permultos creditores habuit[2]). Olympius enim circiter annum 390 mortuus est[3]). Epistulae autem 1592 et 1593 ad multo prius tempus pertinent, cum Basilius iam a. 379 vita defunctus sit; ergo id, quod in epistulis narratur, non quadrat ad rem.

Id quoque mirum videtur, quod Basilius in ep. 1583, postquam ipse sophistas avaritiae arguit, pergit: ὁρᾷς ὡς καὶ τὸν γέροντα ὑποσκιρτᾶν παρεκίνησας. Non intellegere me profiteor, quonam iure potuerit dicere Basilius se senem esse, cum eo tempore, quo fingitur epistula, vix annos quadraginta natus medium egerit cursum aetatis. Ita verus Basilius non scripsit. Omnino Basilii, quales in his epistulis depinguntur, moribus maxime offendimur, cum minime iis respondeant, qui e genuinis operibus elucent.

Sed etiam ex hac epistula, quomodo scriptor in negotio suo administrando versatus sit, apparet, atque probatur nihil eum praetermittere quo efficiatur, ut arta communio fiat inter illos, et ita, ut homo christianus nonnihil praecedat ethnicum. Qua de causa Libanio opus fuisse pecunia simulat eumque a Basilio esse adiutum.

Aggredior ad epp. 1594[4]) et 1595 pervestigandas. In 1594 epistula Libanius iocans parum afuisse dicit, ut Cappadoces etiam se ipsum facerent Cappadocem semper illud προσκυνῶ σε occinentes. Quod autem Basilius respondet, nequaquam gravitati illius episcopi convenit atque dignitati. Iuvat verba Basilii exscribere, quae de hac re dubitationem non relinquent: ἐγὼ δέ,

---

[1]) Antiochiae immunis fuit Libanius; cf. epp. 297, 789, 927. Cf. etiam Lib. vit. § 257 ed. Foerster I p. 193, 18: *διέφυγον δὲ αὐτὸν οὐδὲ ἐγὼ καὶ ταῦτα ἀπῶν λέγοντά γε ἀδικεῖν με τῇ ἀτελείᾳ τὴν βουλήν, ἥ μοι μετὰ συχνῶν ὑπῆρχε παρὰ τοῦ νόμου.*

[2]) Lib. F. I p. 202 sq., epp. 871, 872, 950. Cf. Sievers p. 195.

[3]) Sievers p. 282.

[4]) Huius epistulae locutionem *τῆς ἐμῆς Καλλιόπης* fluxisse e Libanii ep. 737 vel 1311 verisimile est.

ὦ Λιβάνιε, ἵνα σοὶ καὶ πλατὺν κινήσω γέλωτα[1]), ὑπὸ παραπετάσματι καλυπτόμενος χιόνος τὴν ἐπιστολὴν ἔγραψα, ἣν δεξάμενος καὶ ψαύων χερσὶ γνώσῃ, ὡς κρυερά τις αὐτὴ καὶ τὸν πέμψαντα χαρακτηρίζει ἐμφωλεύοντα καὶ μὴ δυνάμενον ἔξω τῶν δωματίων προκύπτειν.

Cum ista iactatione nugisque minime convenit Basilii purum et candidum dicendi genus. Vix cogitari potest istud Basilii esse: ἵνα σοι καὶ πλατὺν κινήσω τὸν γέλωτα. Hae sane ineptiae differunt a generoso gravique dicendi genere, quod in Basilii operibus invenitur.

Magna similitudo intercedit inter epistulam 1595 et Basilii epistulas 27 et 48.

In ep. 27 a Marano in anno 368 collocata Basilium comperimus hieme impeditum esse quominus cum Eusebio, episcopo Samosatorum, conveniret; ita autem scribit Basilius: τότε ὁ χειμὼν ἐπεγένετο οἴκοι καθείργων ἡμᾶς . . . ἐμοί γε ἱκανός . . . οὐδὲ μικρὸν προκύπτειν τοῦ δωματίου δύνασθαι.

Similibus fere verbis in ep. 48 utitur: ἐπεὶ οἵ γε παρ' ἡμῖν οὕτω κατέπληξαν τὸν χειμῶνα ὡς μηδὲ τὸ μικρότατον προκύπτειν τῶν δωματίων ἀνέχεσθαι, καὶ τοσούτῳ πλήθει χιόνων κατενίφημεν, ὡς αὐτοῖς οἴκοις καταχωσθέντες δύο μῆνας ἤδη ταῖς καταδύσεσιν ἐμφωλεύειν.

Ex his epistulis originem traxisse veri est simile epistulae 1595 verba: χαρακτηρίζει ἐμφωλεύοντα καὶ μὴ δυνάμενον ἔξω τῶν δωματίων προκύπτειν.

Conferamus etiam epistulae 1595 hunc locum: Τάφους γε τοὺς οἴκους κεκτήμεθα, μέχρις ἐπιλάβοι τὸ ἔαρ καὶ νεκροὺς ἡμᾶς ὄντας πρὸς ζωὴν ἐπανάξοι πάλιν τὸ εἶναι et epistulam 198: γίνωσκέ γε τὸν παρ' ἡμῖν χειμῶνα τοσοῦτον γεγενῆσθαι ὥστε πάσας μὲν ὁδοὺς ἐγκλεισθῆναι μέχρι τῶν ἡμερῶν τοῦ πάσχα.

Neque miramur quod falsarius hausit ex aliis Basilii epistulis. Omnino eum et in Basilii et in Libanii epistulis versatum esse[2]) ex ipso litterarum commercio elucet.

Verba autem epistulae 1595 cum Basilianis (epp. 48. 27) nimis concinunt, quam ut id fortuito factum esse mihi persuadere possim.

---

[1]) Hanc locutionem *πλατὺς γέλως* hausit falsarius ex Aristophanis Acharn. 1126: *ταῦτ' οὐ καταγέλώς ἐστιν ἀνθρώποις πλατύς;*

[2]) Idem fere initium atque epistulae 1595 *λέλυταί σοι τὸ δύσθυμον* est epistulae Lib. 507 *λέλυταί σοι τὰ δυσχερῆ.* Verba epistulae 1595 fluxisse ex Lib. ep. 507 pro certo habeo. Cf. p. 42 not. 1.

Sed iam pergamus.

Cum epistula 1591, quae ad anni 372 aestatem spectare dicitur, nihil exhibeat, quod memorabile sit, confestim aggredior epp. 1596—1602. Has epistulas 1596—1599, 1601, 1600 Maasius subditas esse censet, quod ineptae sint et refertae adulationibus. Legis p. 1122: „Nichts steht in dieser Gruppe, was nicht ein Rhetor erfunden haben könnte, um darzustellen, welche Schmeicheleien die beiden berühmten Männer einander wohl gesagt haben könnten, als sie ihre bekanntesten Deklamationen austauschten.“ Cur hac argumentatione Maasius hoc modo loco utitur? An in aliis epistulis assentationes sunt minores?

Quarum epistularum quas Seeckius in a. 372 exeunte ponit, haec fuit occasio: Libanius a quo petiverat Basilius in ep. 1596, ut ad se mitteret declamationem, quam de homine moroso, qui loquacem uxorem duxerat, scripsisset[1]), secundum ep. 1597 mittit eam, ac vicissim Basilio in ep. 1599 submisse supplicat, ut ad se mittat sermonem, quem contra ebrietatem habuerit[2]).

Quod hae declamationes a Basilio et Libanio reapse habitae sunt, nullum argumentum est authentiae litterarum mutuarum, immo hac quoque re tantum falsarium illorum opera novisse affirmatur.

Qua adulatione, qua verborum pompa adit gentilem is qui Benedictus alter appellatur. Sed adulationibus Basilium superat Libanius, qui illum cum elephanto, se ipsum cum culice confert! En habes verba ep. 1597: τὸ δὲ ἐμὸν τοιοῦτον οἷον κώνωψ ἐλέφαντι παραβαλλόμενος. *Horreo et tremo* inquit *illum diem metuens, quo declamationem meam perleges:* ὅθεν πέφρικα καὶ τρέμω τὴν ἡμέραν λογιζόμενος, καθ' ἣν ἐπισκέψῃ τοὺς λόγους.

Omnino auctor harum epistularum qui imprimis, quam familiaris consuetudo christiano esset cum ethnico, probare voluit, christianum quidem paulum praefert gentili; id cum ex epistulis ante pertractatis tum ex his colligi potest: δεῖ δὲ ὅμως ἀνέχεσθαι (sc. προσᾴδοντας) Βασιλείου κελεύοντος (1594); praeterea conferas velim quae Libanius dicit in ep. 1599: Βασιλείου γάρ με ἐπαινέσαντος κατὰ πάντων ἔχω τὰ νικητήρια καὶ τὴν ψῆφον δεξαμένῳ τὴν σὴν ἔπεστί μοι βαδίζειν μετὰ σοβαροῦ τινος βαδίσματος.

---

1) Declamatio quae inscribitur *δυσκόλου γήμαντος λάλον γυναῖκα* Lib. Foerster VI p. 510—544.

2) Titulus est *περὶ γαστριμαργίας καὶ μέθης*. Migne 32 p. 1366.

Minime vero cogitari potest Libanium, rhetorem illum, Basilio natu multo minori tribuisse principatum, ut legis in ep. 1590: ἐγὼ δέ σε τῇ μὲν ἄλλῃ νενικηκέναι συγχωρῶ· τίς γε ἰδών τέ σε καὶ οὐ φθονῶν; Quod aliis quoque locis comprobatur.

Minime agnosco Libanium, oratorem illum, qui hac locutione inflata ad Basilium scribit: Ἰδοὺ πέπομφα τὸν λόγον ἱδρῶτι περιρρεόμενος. Hoc abhorret ab illo, qui pure et emendate loquens verborum et propriorum et translatorum elegantiam persecutus est. In eius operibus verborum et delectus elegans et apta constructio invenitur, nullum nisi loco positum nec vero ullum aut durum aut insolens. Istud autem quod in epistulis Libanii personati legimus, eleganter dictum esse nemo affirmabit.

Ista videlicet est splendida quaedam ratio dicendi, quam tenet Libanius personatus: ὅθεν πέφρικα καὶ τρέμω τὴν ἡμέραν λογιζόμενος, καθ' ἣν ἐπισκέψῃ τοὺς λόγους· μικροῦ δὲ καὶ τῶν φρενῶν ἐκπέπτωκα. Tantum abest ut verus Libanius immodice in maius extollat, ut moneat amicos ne aut comparationibus contumeliose utantur aut in laudando modum excedant. In ep. 8 Galliciano inscripta reapse legis: μὴ τοίνυν ὕβριζε τὰς εἰκόνας μηδ', ὅταν ἐπαινῇς, ἀμέλει τοῦ μέτρου, et in ep. 102: ὅταν δὲ ἄλλοις διαλέγῃ, τίμα τὸ μέτριον· καὶ οὕτω σαυτῷ τε χαριῇ καὶ οὐκ ἐνέξῃ τῷ νόμῳ.

Quantus timor eum Basilii iudicii occupat! Verus Libanius iudicium de orationibus suis factum minime fugit.

Nec praetereundum arbitror quod declamatione Libanii lecta respondet Basilius (1598): ὦ Μοῦσαι καὶ λόγοι καὶ Ἀθῆναι, οἷα τοῖς ἐρασταῖς δωρεῖσθε, οἵους κομίζονται τοὺς καρποὺς οἱ βραχύν τινα χρόνον ὑμῖν συγγινόμενοι. Initium quidem exclamationis insolenter compositum esse iam Maranus et Krabinger intellexerunt. Gravissimam autem offensionem praebet, quod Basilius miratur, quales fructus ii percepturi sint, qui tantummodo per breve tempus in iis versati sint. Libanius enim qui puer quindecim annorum totum litterarum studiis se dederat, tum cum declamationem, quam hoc loco Basilius ad caelum effert, litteris consignavit, iam quinquaginta annos natus non βραχύν τινα χρόνον in studiis versari potest. Sed obiecerit fortasse quispiam scriptorem exclamationis posteriorem partem solum ad vocem Ἀθῆναι relatam esse voluisse. Verum talis usus insolens cum omnino excusari non possit tum in Basilii scriptis non invenitur.

Deinde ut ex illo dicto Basilio summae admirationi fuisse

Athenas elucet, ita e Gregorio Naz. eum scimus nequaquam favisse Athenis, etsi carissimi Nazianzeni hic consuetudine usus est: κενὴν μακαρίαν τὰς Ἀθήνας ὠνόμαζεν[1]). Posteriore autem tempore Basilium ita cecinisse Athenarum laudes non quadrat ad illius mores. Libanius istis blanditiis ita delectatur, ut in sequenti epistula (1599) profiteatur: νῦν ἔγνων εἶναι ὃ λέγομαι, ac vicissim a Basilio petit, ut declamationem contra ebrietatem habitam mittat. Qua declamatione accepta Basilium ad caelum effert: ἡ γλῶττα τούτων ἐθὰς οὐκ ἦν, ἀλλ' ὡσπερεί τινα κρημνὸν διοδεύοντος πληγεῖσα τῇ τῶν ὀνομάτων καινοτομίᾳ ἐμοὶ τῷ πατρὶ ἔλεγε· πάτερ, οὐκ ἐδίδαξας. Ὅμηρος οὗτος ἀνήρ, ἀλλὰ Πλάτων, ἀλλ' Ἀριστοτέλης, ἀλλὰ Σουσαρίων ὁ πάντα ἐπιστάμενος.

Libanii illud πάτερ, οὐκ ἐδίδαξας contradicere epistulae 1590 memoria tenes. Libanium autem auctori condiscipulum fuisse Basilii concludere posse mihi videor ex ep. 1602, in qua per amicitiam communesque scholas Libanius rogat illum, ut veniam det: ἀλλὰ πρὸς τῆς φιλίας αὐτῆς καὶ τῶν κοινῶν διατριβῶν, λῦσόν μοι τὴν ἀθυμίαν.

Mira est illa comparatio cum Platone[2]), Aristotele, Susarione facta.

Nusquam enim in ceteris Libanii operibus ille veterum poeta Susario nominatim affertur, neque in Libanii epistulis ullum locum inveni, qui ad illum virum pertineat. Eorum quidem scriptorum quibus Libanii aetate imprimis opera data est, ille ipse in ep. 956 affert Homerum, Hesiodum, Demosthenem, Lysiam, Herodotum,

---

[1]) Greg. Naz. or. 18. Migne 36 p. 519. De se ipso loquitur Gregorius: *ἐγὼ δὲ ὁ φιλαθήναιος . . . ἐζηλοτύπουν τὸ τῶν Ἀθηνῶν* (ibidem).

[2]) Iam in ep. 1597 Basilius confertur cum Platone; ineleganter adulatur Libanius, cum dicat etiam Platonis sapientiam et Demosthenis acumen Basilii facultate dicendi vinci: *ἱκανός ἐστι τὴν Πλάτωνος σοφίαν καὶ Δημοσθένους δεινότητα τῇ περὶ τοὺς λόγους εὐμαθείᾳ δεῖξαι θρυλλουμένας μάτην.* Etiam Photius confert Basilium cum Platone et Demosthene; sed ut in ep. 1597 Basilius superat illos, ita secundum Photium aequat. Phot. bibl. cod. 141: *καὶ τῷ πιθανῷ δὲ ἐπὶ τοσοῦτον ἧκεν ἀποκεχρημένος, ὡς εἴ τις πολιτικοῦ λόγου τοὺς αὐτοῦ λόγους παράδειγμα ἑαυτῷ θείη, ἔπειτα τούτους ἐκμελετῴη μηδὲ τῶν εἰς τοῦτο συντελούντων δηλονότι νόμων ἄπειρος ὑπάρχων, οὐδενὸς αὐτὸν ἑτέρου δεήσεσθαι οἶμαι, οὔτε Πλάτωνος οὔτε Δημοσθένους, οἷς οἱ παλαιοὶ ἐνδιατρίβειν προτρέπονται, εἰς τὸ πολιτικόν τε καὶ πανηγυρικὸν ῥήτορα γενέσθαι.* Quod autem Photius aeque atque epistularum scriptor Basilium et cum Platone et cum Demosthene comparat, eum respicere litterarum commercium veri est simile, quod iam saeculo VI., ut supra (p. 2) docuimus, notum erat.

Thucydidem, in ep. 79 nominatur Aeschylus, Euripides, in ep. 18 Isocrates, in ep. 34 Pindarus, Sophocles, in epp. 121, 241 Plato, in ep. 137 Solon, in ep. 420 Aristophanes, in ep. 1050 Pythagoras, in epp. 1205 et 1072 Aristoteles. Qui omnes in aliis quoque epistulis, quas hic praetereo, nominantur[1]). Susarionis autem nullo loco mentio fit. Num omnino eum noverit Libanius, dubitaverim. Nihil enim scimus de Susarione nisi e proverbiis collectis aut e libello „περὶ κωμῳδίας“; eum fictum esse poetam Atticum veri est simile. Versus quinque qui sub illius nomine ferebantur, subditi sunt[2]). At secundum ep. 1600 eum aeque atque Homerum et Platonem et Aristotelem novit[3]); quin etiam eius solum nomini subiunxit hoc: ὁ πάντα ἐπιστάμενος.

Sed iam reliquas epistulas perquirere necesse est.

Epistulam 1600 excipit epistula 1601[4]), cuius argumentum est hoc: aegre fert Basilius quod a Libanio, ut rescriberet, rogatus sit; pro litteris acceptis gratias agit. Atqui miramur quod idem Basilius, qui in praecedentibus epistulis tanto clamore adulationeque assentabatur Libanio, nunc nimia praeter exspectationem modestia falsoque pudore se nihil respondere posse illius orationi atticae profitetur nisi se piscatorum discipulum esse: πλὴν ὅτι ἁλιέων εἰμὶ μαθητής, ὁμολογῶ καὶ φιλῶ[5]). Quod hoc loco primis apostolis cavillatur, minus decet eum qui toto animo studuit, ut in augenda Christi ecclesia recte iis succederet.

Transeo ad epistulam 1602, quae iam non Vaticanis 83 et 85 vel Vossiano 77 continetur, sed codice Laurentiano et Harleiano, e quo primus edidit Io. Baptista Cotelerius[6]).

---

[1]) R. Foerster, Rh. Mus. 32, p. 86 sq. (Libaniana), enumeravit omnes scriptores quorum in operibus Libanius versabatur. Libanius oratione XI § 1 F. I p. 437 plurima se omnium aequalium scripta condidisse gloriatur (*πλεῖστα δὴ τῶν νῦν ὄντων συγγράμματα πεποιηκώς . . .*). Cf. F. I praef. p. V.

[2]) Testimonia illius contulit G. Kaibel, C. Gr. Fr. I 77.

[3]) Proclive sane est pro *Σουσαρίων* scribere *Σωκράτης* collato decl. XII t. V 550, 7 F *ὁ σοφὸς Σωκράτης*, at quis, ut me monet Foerster, talem mutationem audebit?

[4]) Haec epistula una cum ep. 1603 (355 et 357) est in epistularum anthologia inscripta: *τῶν ἑλληνικῶν ἐπιστολῶν ἀνθολογία.* Paris. ex typogr. Steph. Prevosteau, heredis Guil. Morelli. Cf. Fabr. Bibl. gr. vol. 9 p. 55 ed. Harl.

[5]) Cf. ep. 1584: *ἀλλ' ἡμεῖς μέν, ὦ θαυμάσιε, Μωσεῖ καὶ Ἡλίᾳ καὶ τοῖς οὕτω μακαρίοις ἀνδράσι σύνεσμεν ἐκ τῆς βαρβάρου φωνῆς διαλεγομένοις ἡμῖν τὰ ἑαυτῶν·*

[6]) Tomo II monumentorum eccles. gr. p. 96.

In ea epistula Libanius sibi reconciliare conatur Basilium per amicitiam et communia studia orans atque obsecrans, ut se liberet animi dolore. Nam παίζειν, inquit, παρ' ὑμῶν ἐδιδάχθημεν.

Quam saepe qui familiarissimi dicuntur, controversias habent intra parvulum spatium annorum 370—379!

Neque satis habet Libanius commemorasse se iocandi consuetudinem ab illo didicisse, immo id quoque subiungit: ἀλλ' ὅμως τὰ παίγνια σεμνὰ καὶ οἷον πολιᾷ πρέποντα. Blanditiae videlicet et permodestae et decorae!

Secundum Seeckii rationem Basilius neglectis precibus epistulae 1602 non respondebat, sed tum demum, cum Libanius precibus rursus eum adiit (ep. 1586), rescribit epistulam 1587, quae una cum epp. 1592 et 1593 in codice Patmensi inventa est.

Titulus ei est in Patmensi: τοῦ αὐτοῦ. Secundum Maasium haec epistula a Gregorio Nysseno scripta est ad amicum christianum. At hic quoque facies quam epistulae mutuae praebent, secundum meam sententiam faciei praeferenda est codicis Patmensis, quae multo diffusior est. Accedit quod epistulam 1587 solvere non possumus e conexu quem falsarius facere voluit cum ep. 1586. Utramque enim epistulam cohaerere iam Seeckius observavit.

Secundum quidem Maasium epistulae 1594, 1602, 1586, 1595 ita inter se conexae sunt, ut secunda sequatur primam, tertia secundam, quarta tertiam. Sed hoc modo omnes epistulae coniungi possunt. Concedo Maasio epistulam 1595 non male excipere epistulam 1602, sed illud: λέλυταί σοι τὸ δύσθυμον (ep. 1595) respicere hanc ipsam locutionem epistulae 1602: λῦσόν μοι τὴν ἀθυμίαν, non ita perspicuum est. E contrario hac ipsa epistula evincitur, quantum a vero recesserit Maasius. Tota fere epistula consarcinata est e locutionibus aliarum epistularum. Illud: λέλυταί σοι τὸ δύσθυμον e Libanii epistula 507 fluxisse supra (p. 47) dixi; huic enim epistulae 507 idem fere initium est atque ep. 1595: λέλυταί σοι τὰ δυσχερῆ. Deinde iuvat scire ep. 1595: σὺ δὲ σκῶπτε καὶ διάσυρε τὰ ἡμέτερα εἴτε παίζων εἴτε σπουδάζων ad verbum consentire cum Gregorii Nazianzeni epistula 4 ad Basilium data (quem locum Maasius ipse affert p. 1116) excepto quod pro δέ particula exstat μέν. Extremae autem epistulae parti concentum esse cum Basilii epp. 27 et 48 supra (p. 47) observavi.

Mirum quod Maasius easdem ipsas epistulas genuinas signi-

ficat: 1594, 1586, 1602, 1595. Concentus qui epistulae 1595 cum aliis est, non modo non suspicionem apud illum movet, sed confirmat eius de authentia opinionem.

Illa igitur epistula 1587 respondet secundum eius sententiam epistulae 1586, qua Libanius petit e Basilio, ut ab ira discedat. En habes initium epistulae 1586: οὔπω μοι τῆς λύπης ὑφῆκας ὥστε με μεταξὺ γράφοντα τρέμειν ... sub finem legis: ἢ τάχα ζημιῶσαί με προείλου τῆς μελιχρᾶς σου φωνῆς ἀποστερῶν; μὴ σύ γε, ὦ γενναῖε, ἀλλὰ γενοῦ πρᾷος καὶ δὸς ἀπολαῦσαι τῆς παγχρύσου σου γλώττης. De hac autem epistula iudicat epistulae 1587 scriptor: ἣ τὸ μὲν ἄνθος εἶχε τοῦ ῥόδου ὅλον ἡμῖν τὸ ἔαρ τῇ εὐγλωττίᾳ παραπετάσασα. An revera „ver totum expandit" Libanius illa epistula 1586, cum queratur quod Basilius non dudum scripsisset?

Iam aggredior ad epistulam 1604, quae pariter atque 1602 non in codicibus Vaticanis 83 et 85 vel codice Vossiano exstat sed in Parisino gr. 2962. Docet nos intermissam fuisse epistularum consuetudinem. Basilius enim dicit: σὺ αὐτοὺς ἄγοις, ὅπου βούλει, καὶ τηλικοῦτον κράτος κεκτημένος σιωπᾷς; et initio legis: τοσοῦτον σιγᾷς ὡς μηδ' ἐν ἐπιστολαῖς ἡμῖν διδόναι τι κερδαίνειν.

Hanc epistulam scriptam esse anno 361, ut Seeckius vult, ratione caret. Omnino ante annum 370 epistularum commercium fuisse non potest; velim conferas quae de epistula 1581 protuli post annum 370, tum cum Basilius episcopus fuit, statuenda; ante ep. 1581 alterum misisse litteras alteri supra (p. 30) refutavi.

Etiam in hac epistula quantopere Basilius adulatur Libanio!

Magna similitudo intercedit inter epistulam 1604 et Basilii epp. 163, 134, 359. Verba ipsa audiamus: ep. 1604 ἐπιστέλλω σοι λόγους δεικνύντας τὴν ἡμετέραν φιλίαν. Φύσις γε λόγων μηνύουσα τοὺς κατὰ ψυχὴν ἔρωτας. Sub finem: ἀλλὰ μετάστησον καὶ ἐφ' ἡμᾶς τὰς ἀπὸ τοῦ στόματός σου τῶν λόγων πηγάς. Hic falsarius mea quidem sententia Basilii verborum, quae subsequuntur, vestigia pressit. Ita enim legis in ep. 134: οὕτω τὸ καθαρὸν τῆς καρδίας, ἀφ' ἧς προῆλθεν ἐκεῖνα τὰ ῥήματα, ἀκριβῶς ἐκ τῶν γραμμάτων κατεμηνύετο, καί γε ὅλκος μὲν ὕδατος δείκνυσι τὴν οἰκείαν πηγήν, λόγου δὲ φύσις τὴν προενεγκοῦσαν αὐτὸν καρδίαν χαρακτηρίζει. Simili argumentatione utitur Basilius in ep. 163 scribens: εἶδόν σου τὴν ψυχὴν ἐν τοῖς γράμμασι. Καί γε τῷ ὄντι οὐδεὶς γραφεὺς χαρακτῆρα σώματος οὕτως ἀκριβῶς ἐκλαβεῖν δύναται ὡς λόγος ἐξεικονίσαι τῆς ψυχῆς τὰ ἀπόρρητα· τότε γε τοῦ ἤθους εὐσταθὲς καὶ τὸ τῆς τιμῆς ἀληθινὸν

καὶ τὸ τῆς γνώμης ἀκέραιον ἱκανῶς ἡμῖν ὁ ἐν τοῖς γράμμασι λόγος ἐχαρακτήρισεν. Eodem sensus vinculo coniunctae sunt epp. 1604 et 172. Legitur in Bas. ep. 172: τόν γε πρῶτον καρπὸν τοῦ πνεύματος, τὴν ἀγάπην, ἔδειξας ἡμῖν παρὰ τοῦ γράμματος.

Harum Basilii epistularum argumenta falsarium memoria tenuisse veri est simile. Videmus eum non constanter et arte secutum esse Basilii vestigia, sed occasione data verba eius suum in usum convertisse.

Restat ut pauca dicamus de ep. 1589 (344), quam, cum praecedens epistula 1588 ei respondere dicatur, anno 362 ponendam esse Seeckius contendit[1]), id quod rationi contradicit. Nam in ep. 1589 Basilius miserabili sermone profitetur se timore atque imprudentia moneri ne assidue scribat: τὸ μὴ συνεχῶς με γράφειν πρὸς τὴν σὴν παίδευσιν πείθουσι τό τε δέος καὶ ἡ ἀμαθία. Id autem male dictum Seeckii aliorumque opinione Libanius tantopere admiratus est, ut eloquatur: σοῦ μὲν ἐν τῷ στόματι οἰκοῦσι πηγαὶ κρείσσους ναμάτων ἐπιρροῆς, sibi quidem silentium solum superesse, nisi cottidie irrigetur!

Sed de hac ep. 1588 copiosius mihi disserendum est. Non inter mutuas Basilii et Libanii, sed media inter genuinas codicum Vaticani 85 et Vossiani reperitur epistula inscripta: Ἰουλιανῷ αὐτοκράτορι. Quin haec epistula genuina sit, dubitari non potest[2]), nam respondet Iuliani epistulae ad hoc tempus servatae[3]). Atque reapse in codicis Par. Coisl. 490 folio 121 titulum habens: Λιβάνιος πρὸς ταῦτα sequitur illam Iuliani epistulam. Eadem autem inter Libanii et Basilii epistulas mutuas invenitur in Laurentiano 57, 19 et 70, 13, item in Reginensi gr. 18, codice pervetusto. Sed in his codicibus aliam faciem praebet. Ut ipse iudices, utramque faciem, quae summi momenti est, hic propono:

---

[1]) Seeck p. 469: „1588 ist die Antwort auf 1589. Da jener auch im Appendix unter der Nummer 147 wiederkehrt, muß er im Sommer oder Herbst 362 geschrieben sein.“ Sed non recte putat, ut Foerster mecum communicavit, hanc epistulam etiam in Bas. et Lib. epistularum collectione Vaticani 83 exstare.

[2]) Foerster, Fleck. Jahrb. 1876 p. 497 hanc epistulam edidit ex cod. Coisl. 490; Ch. F. Matthaei in „Allgem. lit. Anzeiger“ 1801 nr. 41 p. 379 e Monacensi gr. 490; ex Suppl. Parisin. 1353 Heyler, Iuliani epp. p. 179.

[3]) Hercher, epistologr. gr. Iuliani ep. 2.

Epistula, ut exstat in codd. Vatic. 85 et Voss. 77[1]).

Λιβάνιος Ἰουλιανῷ αὐτοκράτορι.

εἰ ταῦτα γλώττης ἀργοτέρας, τίς ἂν εἴης αὐτὴν ἀκονῶν; ἀλλὰ σοῦ μὲν ἐν τῷ στόματι λόγων οἰκοῦσι πηγαὶ κρείττους ἢ δεῖσθαι ἐπιρροῆς, ἡμεῖς δ' ἣν μὴ καθ' ἡμέραν ἀρδώμεθα, λείπεται σιγᾶν· τὸν λόγον δὲ ζητεῖς μὲν ἔρημον βοηθοῦ λαβεῖν καὶ διὰ τοῦτό σοι Πρίσκος ὁ καλὸς μέλει, δέχου δ' ὅμως· πάντως ὅ τι ἂν γνῷς, στέρξομεν.

Epistula, ut exstat in codd. Laur. 57, 13 et in Reg. gr. 18.

Λιβάνιος Βασιλείῳ.

εἰ ταῦτα γλώττης ἀργοτέρας, τίς ἂν εἴης αὐτὴν ἀκονῶν; σοῦ μέν γε ἐν τῷ στόματι λόγων οἰκοῦσι πηγαὶ κρείσσους ναμάτων ἐπιρροῆς. ἡμεῖς δὲ εἰ μὴ καθ' ἡμέραν ἀρδοίμεθα, λείπεται τὸ σιγᾷν.

Ex eo autem, quod in altera facie extrema epistulae pars desit, litterarum commercium verum esse Seeckius censet: nam quod omissae essent eae enuntiationes, quae ad Priscum proficiscentem et orationem tradendam spectarent, epistulam in hanc faciem a Libanio ipso permutatam esse elucere. Secundum igitur hanc rationem, ut scribendi laborem sublevaret, Libanius epistulam ad Basilium scripsit titulo mutato et omnibus praetermissis, quae ad rem non quadrabant. Si quis epistulas adulteravisset, eum id quidem omissurum fuisse censet cogitari non posse.

Sed hoc pro argumento non habendum est. Sane non est cur epistularum auctor et omnino alii nesciverint, utrum id quadraret ad rem necne. E contrario haec epistula grave argumentum est mihi censenti subditum esse litterarum commercium. Nunquam enim Libanius duas epistulas eadem fere facie duobus viris scripsit.

Is qui hanc epistulam scripsit, permutatam e Libanii epistulis sumpsit. Et operae pretium est complicatas quibus ad metam tendebat, sequi vias: praeter extremam partem omissam nihil mutavit, ut ex comparatione supra allata vides. Omnia ei idonea visa sunt quae sua faceret. Hoc autem uno discessit

---

[1]) Hanc faciem primus descripsit Foerster in Fleck. Jahrb. 1876 p. 498, unde hausit P. Maasius l. c. p. 1122: „Nachträglich (!) sehe ich, daß der Eingang zu ep. 1598 dem 14. Brief Julians nachgebildet ist.“

a Libanii epistula, id quod mihi summi momenti videtur esse: observare enim iuvat scriptorem, etsi ut ad atticum sermonem prope accederet, studuit, non omnino a sermone vulgari abhorrere. Semper in Libanii epistulis orationibusque invenitur κρεῖττον et κρείττους. Huius autem epistulae scriptor recepit κρείσσους secundum elocutionem vulgarem.

Sed etiam ex hac re elucet, quomodo falsarius in scribendis epistulis versatus sit et quae subsidia in usum suum converterit.

Ad finem perducta quaestione de argumentis quae ex epistulis ipsis deprompsi, satis apparuit in epistulis mutuis tot esse, quae a vita et ratione cum Libanii et Basilii tum eorum qui nominatim afferuntur, abhorreant, ut dubium esse nequeat quin hae epistulae omnes falsario tribuendae sint.

## Caput III.

### De epistularum sermone.

Sed ut ab omni parte absolvam quod mihi propositum est, nunc agam de argumentis, quae ad rationem dicendi spectant.

Difficillimum est tam paucas epistulas, quod attinet ad voces, formas, locutiones, comparare cum 1550 Libanii epistulis. Ut exemplum afferam: in ep. 1590 exstat locutio: χάριν ἐπαγγείλας, cuius vis fere est: *beneficium postulare.* Semper adhibet Libanius χάριν αἰτεῖν uno loco excepto, ep. 404, ubi legis: χάριν δὲ ἐπαγγέλλω.

Sed insunt nonnulla vocabula et locutiones, quae ab usu et Libanii et Basilii abhorrent.

δυσγρίπιστος.

Ep. 1592: πᾶς μὲν ἐπίσκοπος πρᾶγμα δυσγρίπιστον[1]). Hoc vocabulum Wolfius in Latinum convertit: „a quo emolumenti aliquid vix exspectetur. Quod a Libanio nusquam usurpatum prioribus temporibus non invenitur. Posteriore aetate apud Nicetam Choniat.[2]) occurrit: κίμβιξ εἰς ἄκρον καὶ γνίφων καὶ δυσγρίπιστος[3]).

[1]) Coisl. primus exhibet *δυσγρήπιστον.*

[2]) Nic. Choniat. I, 3 p. 76, ed. Imm. Becker. Cf. Krabinger p. 279.

[3]) Cf. Herwerden, Lexicon suppletorium et dial., sub voce *γριπεῖν* = *γριπεύειν, γριπίζειν* In inscriptione Syriaca LW 2261: *οὐδὲν ἐγρίπησαν.* Herwerden vertit verbo: *κερδαίνειν.*

γριτή.

Ep. 1594: οὐ παύσῃ, Βασίλειε, τὸν ἱερὸν τοῦτον τῶν Μουσῶν σηκὸν μεστὸν ποιῶν Καππαδοκῶν καὶ ταῦτα ἀποζόντων γριτῆς καὶ χιόνος. Nunquam vox γριτή apud Libanium invenitur; cuius vocabuli quae sit vis, non apertum est.

Apud Libanium non exstant locutiones illae ep. 1599: βαδίζειν μετὰ σοβαροῦ τινος βαδίσματος,

ep. 1600: πληγεῖσα τῇ τῶν ὀνομάτων καινοτομίᾳ.

ἐξακανθόω.

In Basilii operibus non occurrit vocabulum ἐξακανθόω quod in Basilii personati exstat epistula 1587: καθ' ἡμῶν ἐξηκάνθωτο.

εὔπληκτος.

Ep. 1587: εὐπλήκτοις κέντροις τοὺς δρεπομένους ὑπερεθίζουσα. Hoc vocabulo nunquam utitur Basilius, sed aut εὔπηκτος aut εὔπλεκτος.

Non inveni apud Basilium eandem vel similem locutionem atque in ep. 1587: ἐρωτικὰ κνίσματα.

Multo autem graviora de universo genere dicendi proferenda sunt.

Et praecipue a Basilii genere dicendi differt imitator, si epistulas mutuas comparamus cum ceteris epistulis. Ab omni parte dissentiunt istae nugae a vero Basilio[1]), qui grandiloquus, ut ita dicam, est cum ampla et sententiarum gravitate et maiestate verborum. Velim conferas falsarium: ἣ τὸ μὲν ἄνθος εἶχε τοῦ ῥόδου ὅλον ἡμῖν τὸ ἔαρ τῇ εὐγλωττίᾳ παραπετάσασα, μέμψεσι δέ τισι καὶ ἐγκλήμασι καθ' ἡμῶν ἐξηκάνθωτο, et veri Basilii magnificas animosasque comparationes: ἡδὺ μὲν γὰρ θέαμα λευκαινομένη θάλασσα γαλήνης αὐτὴν σταθερᾶς κατεχούσης, ἡδὺ δὲ καὶ ὅταν πραείαις αὔραις τραχυνομένη τὰ νῶτα, πορφύρουσαν

---

[1]) Cf. Villemain, De l'éloquence chrétienne dans le IV siècle, Mélanges historiques et littéraires III, Paris 1827, p. 203 sqq. Cf. F. Probst, Katechese und Predigt vom Anfang des 4. bis zum Ende des 6. Jahrhunderts, Breslau 1884, p. 134 sqq.; Norden, Antike Kunstprosa II p. 570 sq.

χρόαν ἢ κυανῆν τοῖς ὁρῶσι προσβάλλῃ· ὅτε οὐδὲ τύπτει βιαίως τὴν γείτονα χέρσον, ἀλλ' οἷον εἰρηνικαῖς τισιν αὐτὴν περιπλοκαῖς κατασπάζεται. Et postea: εἰ δὲ θάλασσα καλὴ καὶ ἐπαινετὴ τῷ θεῷ, πῶς οὐχὶ καλλίων ἐκκλησίας τοιαύτης σύλλογος, ἐν ᾗ συμμιγὴς ἦχος οἷόν τινος κύματος ἠϊόνι προσφερομένου ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν καὶ νηπίων, κατὰ τὰς πρὸς τὸν θεὸν ἡμῶν δεήσεις ἐκπέμπεται.

Hic est sucus et sanguis sincerus, non fucatus nitor, et verba immigraverunt in suum locum, non irruerunt in alienum locum.

Incitata oratione et volubili ad permovendos animos instructus est Basilius nec ea redundante nec circumfluente[1]). Epistularum autem mutuarum inflata est oratio et tumida. Apud verum Basilium semper adest gravitas, etiam in schedulis parvulis (cf. epp. 103, 106, 281) severus est. Basilius personatus nihil nisi adulationes assentationesque profert. Quoniam supra nonnullos eiusmodi locos in iudicium vocavi, hic solum propono epistulae 1604 initium: σὺ μὲν ὅλην τὴν τῶν παλαιῶν τέχνην ἐν τῇ σεαυτοῦ κατακλείσας παρανοίᾳ τοσοῦτον σιγᾷς ὡς μηδ' ἐν ἐπιστολαῖς ἡμῖν διδόναι τι κερδαίνειν. Et in eadem epistula: μετάστησον καὶ ἐφ' ἡμᾶς τὰς ἀπὸ τοῦ στόματός σου τῶν λόγων πηγάς. Quantopere ille adulatur Libanium hoc loco: τήν γε ἐπιστολὴν ἐκείνην τὴν ῥυπῶσαν, ὡς ἂν ὑμεῖς οἱ περὶ τοὺς λόγους τρυφῶντες εἴποιτε, οὐδὲν οὖσαν τῆς ἐν χερσί σου ταύτης ἀνεκτοτέραν, τοσοῦτον ἦρας τῷ λόγῳ ὡς ἡττηθῆναι δῆθεν αὐτῆς καὶ ἡμῖν τῶν πρωτείων τοῦ γράφειν παραχωρεῖν ὅμοιον ποιῶν ταῖς τῶν πατέρων παιδιαῖς, ὅταν ταῖς παρ' ἑαυτῶν νίκαις παραχωρῶσι τοῖς παισὶν ἐναβρύνεσθαι οὔτε ἑαυτούς τι ζημιοῦντες καὶ τῶν παίδων τρέφοντες τὸ φιλότιμον. Τῷ ὄντι γε καὶ ἀμύθητον ὅσην ἡδονὴν εἶχεν ὁ λόγος ἐν τῇ πρὸς ἡμᾶς παιδιᾷ.

Simplex est Basilii oratio, nimiam in dicendo artem contempsit, etsi eum nonnunquam arte rhetorica uti non ignoro. Qui summa utilitate veterum studiis se dederat, per totam vitam fructus cepit; sed semper formam aequabat res.

Non leves sunt eius comparationes vel imagines ut in epistulis mutuis, sed magnificae et idoneae ad permovendos animos. Recte de sermone Basiliano iam iudicavit Tillemontius, Mémoires p. s. à l'hist. IX p. 286: L'excellence des choses dont les livres et lettres sont remplis, a été la principale cause de cette admiration

---

[1]) Nequeo afferre singularum epistularum testimonia; nam opus esset omnes epistulas exscribere ad hoc demonstrandum.

universelle. Mais cette excellente manière d'écrire qu'on y remarque partout, y a sans doute beaucoup contribué. Car il n'y a point d'écrivain dont la diction soit plus pure, plus belle, plus significative, en un mot plus propre pour des actions publiques. Il a aimé qu'aucun autre un style clair, élégant et persuasif[1]).

Epistularum autem mutuarum scriptorem non simili ratione in arte rhetorica versari atque verum Basilium e particularum respondentium usu elucet, qui a Basiliana consuetudine abhorret. Velim conferas ep. 1584: νοῦν μὲν ἀληθῆ, λέξιν δὲ ἀμαθῆ et ep. 1601: δεχομένοις μὲν ἡμῖν ἃ γράφεις, χαρά, ἀπαιτουμένοις δὲ πρὸς ἃ γράφεις ἀντεπιστέλλειν, ἀγών. Aliis artis rhetoricae exemplis remotis haec modo selegimus. Ep. 1584: ἐπίστελλε ἡμῖν ἄλλας ὑποθέσεις ἐπιστολῶν ποιούμενος, αἳ καὶ σὲ δείξουσι καὶ ἡμᾶς οὐκ ἐλέγξουσι. Ep. 1596: οὐ γὰρ ἠξίου τις ἔξω τῶν ἀγώνων γενέσθαι, οὐκ ἀξιώματος ὄγκῳ συνών, οὐ στρατιωτικοῖς καταλόγοις ἐμπρέπων, οὐ βαναύσοις τέχναις σχολάζων. Ep. 1589: τὸ μὴ συνεχῶς με γράφειν — τὸ δέ σε καρτερικώτατα σιωπᾷν. Ep. 1589: ᾧ γὰρ τὸ λέγειν πρόχειρον καὶ τὸ ἐπιστέλλειν οὐκ ἀνέτοιμον. Ut concentum verborum efficiat, mittit Basilius Libanio: ἰσαρίθμους τοῖς ἐν Θερμοπύλαις ἀγωνιζομένοις στρατιώταις στρωτῆρας.

Hoc dicendi genus non convenit cum Basilio[2]). Libanii autem personati orationem, etsi usu verborum paululum differt a ceteris epistulis, tamen non dignam esse sophista illo supra probavi. Si leviter tantum perlegeris epistulas, scriptorem feliciter Libanii orationem imitatum esse putabis, ut ubique elegantis et

---

[1]) Cf. Paola p. 23: „uno studio comparativo tra gli epistolari di Giuliano, di Simmaco, di Libanio e quello del nostro, potrebbe mettere in evidenza quanta parte l'elemento rettorico abbia in ciascuno di essi; ma in Basilio è quasi trascurabile. si puo dire che egli si sia emancipato da ogni scuola, sebbene non rinunzi a far suoi i tesori dell' arte antica."

Ab omni autem parte Erasmo assentior, qui in editionis (a. 1532) praefatione de oratione Basiliana dicit: „manat e sanctissimo pectore simplex ac naturalis oratio; agnoscas ibi summam mundanae philosophiae cognitionem, sed nullam prorsus ostentationem. Divinarum scripturarum testimonia tam concinne admiscet orationi perpetuae, ut gemmas purpurae non assutas, sed ibi natas dicas . . . Adest ubique regia quaedam maiestas."

[2]) Falso conclusit Norden l. c. II p. 570 not. 1: „Während Basilius in den Predigten jedenfalls äußerst sparsam mit rhetorischen Kunstmitteln wirtschaftet, macht er bezeichnenderweise (!) reichlichen Gebrauch davon in den an Libanius geschriebenen Briefen."

ornatae dictionis illius vestigia agnoscere tibi videare; si propius intueberis, haec celeriter elabuntur.

---

Quis tandem epistularum auctor? Oblivione ipsius auctoris nomen, ut videtur, obrutum est. Neque coniecturis vela dans ad eam audaciam progredior, ut auctorem nominatim proferre audeam.

De rebus dicere quam de homine malo. Et apparet multum ex quaestione harum epistularum rationis pendere soluta.

Quaenam est haec ratio? Quid in animo habuit falsarius in scribendis epistulis? Iam in pervestigando ipso litterarum commercio consilium sylloges quaerentes eo melius subditas esse epistulas intelleximus. Imprimis autem falsarius non parvo ingenio praeditus id egit, ut arta communio fieret inter christianos et ethnicos.

Quid autem melius erat, quam hanc communionem facere inter illos viros, qui ex omnibus aequalibus eminentes plurimum valebant?

Atque talem communionem facere non novum erat. Admoneo te de epistulis, quae inter Senecam et Paulum scriptae esse feruntur. Hic incipit contentio inter ethnicos et christianos, Basilii et Libanii aetate ad exitum adducitur[1]).

---

[1]) De his epistulis loquitur Hieronymus de viris ill. c. 12. Augustinus quasi praeteriens litteras alternas commemorat; in epistula quidem 153 legis: „Senecae etiam quaedam ad Paulum apostolum leguntur epistulae.“ Sed in libro de civitate dei ne uno quidem verbo inter Paulum et Senecam intercedere rationem commemorat. Hoc quidem opere Senecae ingenii animique cultus derivatus est non tam a Pauli cognatione, quam quod illum „philosophia liberum fecerat.“ — Patres ecclesiae prioris temporis de consuetudine nihil commemorant. Secundum Lactantium Seneca est „homo verae religionis ignarus (Div. instit. VI, 24). De Senecae et Pauli litteris alternis cf. Schneider, Christl. Klänge, Gotha 1865; Lipsius, Quellen der röm. Petrussage, p. 1 sq., 133 sq.; Zahn, Geschichte des N. T. Kanons II p. 612 sq.; Harnack, Die altchristl. Literatur bis Eusebius I p. 763 sq.; Birt, Über das Senecaproblem, Preuß. Jahrb. 1911, p. 282 sq. Optime mea quidem sententia de hac re egit Westerburgius, Der Ursprung der Sage, daß Seneca Christ gewesen sei, 1881. Hic vir summa sagacitate probavit epistulas in duas partes esse dividendas, alteram et eam meliorem ante Hieronymum scriptam (epp. X—XII), alteram postea (epp. I—IX, XIII, XIV); atque etiam sententia duarum collectionum diversa est. — Equidem non sum nescius quibusdam et iis non levissimae auctoritatis contra videri. Sed iam insisto, ne rem moveam nova disputatione dignam. Aliam ra-

In fingendis autem epistulis falsarius similiter versatus est ac Franciscus ille Zambeccarius, quem multas (419) epistulas Libanio supposuisse R. Foerster evicit[1]). Etiam Zambeccarius vario modo confudit personas vel permutavit, ut ad rem ei quadrare visum est, vel quam optime scivit. Ex ingenti exemplorum copia pauca subieci: Eugnomonius quidam epistularum gr. 385 et 473 Athenis Libanii condiscipulus est, postea orator, secundum autem epistulam latinam II, 3 (I, 3 in Wolfii editione) medicus clarissimus est. Item Callistion in ep. gr. 1127 egregius rhetor est, qui a Libanio magni aestimatur, e contrario in epistula Zambeccariana homo „ignorantissimus", qui „obscurissime" ad Libanium scripsit.

Etiam epistularum mutuarum scriptorem, cum animum ad sententiam rei attenderet, in graves errores incidisse ostendimus. Sed quod voluit, assecutus est: permultis persuasit inter Libanium et Basilium artam rationem intercessisse. Uno tenore loquitur de necessitudine utriusque viri, quo animo omnes epistulae imbutae sunt.

Sed alia quoque sententia et ea gravior epistulis videtur inesse. Miramur quod Libanius Basilium multo magis adulatur quam Basilius Libanium. Omnes autem adulationes ad genus dicendi pertinent.

Et multi sunt loci qui hoc in luce ponant. Velim conferas ep. 1583: ὡς οὖν ἔδοσαν οἱ φέροντες τὴν ἐπιστολήν, σιγῇ παρὰ πάσης ἐλθών, νενικήμεθα, ἔφην, μειδιῶν τε ἅμα καὶ χαίρων . . . ἐν κάλλει μέν, ἔφην, ἐπιστολῶν ἥττημαι. Βασίλειος δὲ κεκράτηκε. Καὶ ἀνεγίνωσκε μὲν ὁ 'Αλύπιος, ἤκουον οἱ παρόντες. ἡ ψῆφος δὲ ἠνέχθη μηδέν με ἐψεῦσθαι . . . γράφε τοίνυν παραπλήσια καὶ νίκα. τουτί γέ ἐστιν ἐμὲ νικᾶν. Ep. 1585: καὶ ταῦτα πείθειν ἐπιχειρῶν οὕτω καλὴν καὶ ταύτην εἰργάσω τὴν ἐπιστολήν, ὥσθ' οἱ παρόντες ἡμῖν οὐκ εἶχον μὴ πηδᾶν ἀναγινωσκομένης. Referta est blanditiis ep. 1588: σοῦ μέν γε ἐν τῷ στόματι λόγων οἰκοῦσι πηγαὶ κρείσσους ναμάτων ἐπιρροῆς, ἡμεῖς δὲ εἰ μὴ καθ' ἡμέραν ἀρδοίμεθα, λείπεται τὸ σιγᾶν. Quam indecore blanditur Libanius in ep. 1590: ἐγώ γε ἐκεῖνος ὁ προσ-

---

tionem animumque habent litterae alternae, quae inter Iesum et Abgarum principem Edessenum scriptae traduntur. De his epistulis cf. Harnack l. c. p. 533; v. Dobschütz, Ztschr. f. wiss. Theol. 43, 1900.

[1]) Francesco Zambeccari und die Briefe des Libanius, Stuttgart 1878.

θέων, ὁπότε φανείης, καὶ ὡς ἥδιστα ὑπέχων τὰ ὦτα τῷ ῥεύματι τῆς γλώττης καὶ λέγοντος εὐφραινόμενος καὶ μόλις ἀπαλλαττόμενος καὶ πρὸς τοὺς ἑταίρους λέγων, ὡς οὗτος ἀνὴρ τοσούτῳ καλλίων τῶν Ἀχελώου θυγατέρων. Adiciam epistulam 1600: ἆρα, Βασίλειε, μὴ τὰς Ἀθήνας οἰκεῖς . . . ἡ γλῶττα γάρ μοι τούτων ἐθάς· οὐκ ἦν. ἀλλ' ὥσπερεί τινα κρημνὸν διοδεύοντος πληγεῖσα τῇ τῶν ὀνομάτων καινοτομίᾳ, ἐμοὶ τῷ πατρὶ ἔλεγον· πάτερ, οὐκ ἐδίδαξας . . . In epistula denique 1599 scriptor Libanium facit dicentem: Βασιλείου γάρ με ἐπαινέσαντος κατὰ πάντων ἔχω τὰ νικητήρια καὶ τὴν ψῆφον δεξαμένῳ τὴν σὴν ἔπεστί μοι βαδίζειν μετὰ σοβαροῦ τινος βαδίσματος.

Quorsum tandem aut cur Libanius ad caelum effert Basilii orationem? Satis mihi multa attulisse exempla videor ad faciendum iudicium: praeferre voluit scriptor Basilii genus dicendi orationi Libanianae. Probare voluit christianorum dicendi artem florere praeter omnem sophistarum rhetoricam. Haec autem bene quadrant ad illa saecula.

Quibus de causis maxime idoneae erant epistulae, quae in scholis tractarentur. Revera autem in tironum usus recusum esse hoc litterarum commercium e magno numero codicum apparet, qui nihil nisi epistulas mutuas continent.

# Vita.

Natus sum Adolfus Laube Bojanowae in oppido Posnaniensi ante diem quartum Id. April. anni 1889 patre Adolfo matre Alwina e gente Grande, quos adhuc salvos esse gaudeo. Fidei adductus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus inde ab anno 1899 Lesnae gymnasium regium nomine Comenii nuncupatum frequentavi, quod nunc floret auspiciis Alfredi de Sanden. Vere anni 1908 maturitatis testimonium adeptus Halas Saxonum profectus sum, ubi studiis theologicis, philologicis, archaeologicis operam dedi. Docuerunt me viri doctissimi:

*Achelis, Bremer, Consbruch, Goldschmidt, Haupt, Ihm, Kern, Loofs, Lütgert, Menzer, Muff, Robert, Saran, Steuernagel, Weber, Wissowa.*

Inde ab autumno anni 1909 in universitate Vratislaviensi studia continuavi usus scholis virorum:

*Arnold, Baumgartner, Cichorius, Cornill, de Dobschütz, Feine, Foerster, Gercke, de Haase, Herrmann, Hoennicke, Kautzsch, Klaatsch, Kropatscheck, Kühnemann, Rothstein, H. Schmidt, Skutsch †, Stern, de Walter, de Wenckstern, Ziegler.*

Sodalis ordinarius fui seminarii philologici per tria semestria moderantibus *Foerstero, Gerckio, Skutschio †.* Aditum benignissime mihi fecerunt seminarii theologici *Cornill, Feine, de Walter,* seminarii historici *Cichorius,* philosophici *Kühnemann, Stern.* Ad societatem Graecam comiter me admisit *Gercke.* Exercitationibus ut interessem proseminarii philologici permiserunt *Ihm, Praechter,* archaeologici *Foerster, Robert,* exercitationibus theologicis *Hoennicke,* germanisticis *Saran.*

Quibus viris omnibus semper gratiam debeo, imprimis *Foerstero,* qui in hac dissertatione elaboranda consilio atque opera benignissime me adiuvit.

# Theses.

I. Epistulae, quae inter Senecam et Paulum scriptae esse traduntur, in duas partes sunt dividendae: altera et ea melior (epp. X—XII) ante Hieronymum scripta est, altera postea (epp. I—IX, XIII, XIV).

II. Epistulam imperatoris Iuliani ad Basilium datam subditam esse censeo.

III. Verba Libanii morientis, quae Sozomenus VIII, 2 tradidit: ἡνίκα γὰρ ἔμελλε τελευτᾶν, πυνθανομένων τῶν ἐπιτηδείων τίς ἀντ' αὐτοῦ ἔσται, λέγεται 'Ιωάννην εἰπεῖν, εἰ μὴ Χριστιανοὶ τοῦτον ἐσύλησαν condicionem rerum qualis erat indicant.

IV. Hor. Sat. I, 7 versus 28 cum Stowassero scribendus est: tum Praenestinus salso mul**so**que fluenti.

V. Il. N 728 cum Cobeto scribendum esse puto: τούνεκα καὶ βουλὴν ἐθέλεις περιέμμεναι ἄλλων.

VI. Matth. XI, 27 codicum scriptura recta est:

I. Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου,
II. καὶ οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατήρ,
III. οὐδὲ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει εἰ μὴ ὁ υἱὸς
IV. καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι.

Contra Wellhausenum pars II retinenda est; Iustinus autem aliique scriptores ecclesiastici errant, cum partem II ponunt post partem III.

Vratislaviae, typis R. Nischkowsky.